




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cautio Judicialis Prælatorvm, Ecclesiasticorum & Regularium

Dript, Laurentius a

Neuhaus, [1684]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63260](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63260)




Th. 4808.

M

1

7



CAUTIO JUDICIALIS
PRÆLATORVM

Ecclesiasticorum & Regularium:

In qua

*Quid sit: summarie, de plano, simpliciter
sine strepitu & figura judicij, sola rei
veritate inspecta:*

Et

Quomodo Superiores, Ecclesiastici,
& Regulares, contra suos subditos, in causis
levibus, gravibus, seu criminalibus, procedere
debeant, paucis demonstratur.

Collegii e Autore for. et ab iudic. paderborn. An. 1716
Laurentio à Dripte, O. S. B. Profess. Gladb.
SS. Theol. Lectore, Celsissimi & Reverendissimi
Principis & Episc. Paderborn in Eccle-
siast. Consil. & Vicario in spirit.
Generali.

Justum judicium judicate, Joan. 7. v. 24.

N E U H U S I I,

Imprimebat Joannes Todt, Typographus
Aulicus sue Celsitudinis Paderbornensis.

[Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.]

[Faint, illegible text, possibly a title or subtitle.]

D. HERMANNUS WERNER

[Faint, illegible text, possibly a list of works or a dedication.]

[Faint, illegible text, possibly a date or location.]

M
[Large, ornate initial letter 'M' followed by several lines of faint, illegible text.]

Decorative flourish

Decorative flourish

Decorative flourish

*Celsissimo & Reverendissimo Principi
& Domino,*

D. HERMANNO WERNERO,

Electo & Confirmato Episcopo Paderbor-
nensi, S. R. I. Principi, & Comiti Pyrmontano,
Domino meo Clementissimo.

*Celsissime & Reverendissime Princeps,
Domine Clementissime.*

Magna & Regia Virtus Justitia
post Theologicas & prudenti-
am, inter Cardinales prima &
dignissima, in exigua hac Cautione Judi-
ciali, vivis Sacrorum Canonum coloribus
delineata, se Celsitudinis Vestrae sacro con-
spectui, devotissime & gratulabunda prae-
sentat, ut quem ab ineunte aetate, in omni-
bus dignitatibus & honorum gradibus a-

A 2

mato-

D E D I C A T I O .

matores, protectores, & defensores ha-
buit, nunc ad summum honorem & apicem
Episcopalis Insule sublimatum, Patronum
& Zelatorem habeat. Justitia est, que ad
Ecclesias Cathedrales promovit. Justitia
dirigens, Celsitudinem tuam per Electiones
sanctas & Canonicas, ad dignitates Deca-
nalem Paderbornensem & Præposituralem
Hildesensem evexit. Denique Justitia &
judicium sunt preparatio Episcopalis Sedis
Tuæ. Illa ante Celsitudinem tuam ambu-
lavit & posuit in via gressus suos ac vi-
am monstravit, ne ad dexteram vel sini-
stram vitiorum declinares, sed justitiæ
semper medium teneres. Quia enim dile-
xisti justitiam & odisti iniquitatẽ pro-
pterea elegit te Deus, ut ungat oleo læ-
titiaæ præconfortibus tuis, ut sis Sacer-
dos magnus, qui non solum in diebus su-
is placuit Deo, sed & inventus sit ju-
stus ac immolet sibi Sacrificium lau-
dis. Superest jam, ut illa, que Celsitudi-
nem

D E D I C A T I O.

nem tuam, in benedictionibus dulcedi-
 nis suæ, prævenit, & ad thronum gloriæ
 Episcopalis evexit, tibi Regnanti ut Regi-
 na à dexteris in vestitu deaurato asside-
 at, per te judicia decernat expleatq; id ad
 quod olim Reges & Principes sunt sine
 creati: dicere jus populis, injustaq; tol-
 lere facta; ut regnet per justitiã Princeps,
 & per Principem justitia. Discant omnes
 & timeant à te constituti ministri justitiæ,
 videntes Sapientiam Dei in te esse ad
 faciendum judicium. Timeant inquam
 ne sibi à Celsitudine tua, aliquando objicia-
 tur illud Sapientiæ 6. cum essetis mei &
 justitiæ ministri, non recte judicastis,
 nec custodistis legem Justitiæ. Lex ju-
 stitiæ est, neminem lacerare, lex justitiæ est
 suum cuiq; tribuere, lex justitiæ est, inter
 ledentem & laesum, equalitatem rei ad
 rem ponere. Deniq; lex justitiæ est, omnia
 aqua lance librare & perfectum equili-
 brium servare. Si æquilibrium, & justiti-

D E D I C A T I O.

am amisisti, nec legem justitiæ custodisti. Nec enim, qui cum acceperit tempus, justitias judicabit, à judicibus inquiret, an telam judicariam, & Ordinarium juris Processum ac longum litis sufflumen servaverint, an formalitates attenderint, an justam causam habentem, ob impotentiam & mediocritatem ad litigandum necessarium defectum, propter contumaciam juste condemnaverint, sed an legem justitiæ custodierint, & inter ledentem & lesum talem aequalitatem posuerint, ut receperit lesus, quod per lesionem amiserat, & restituerit ledens, quicquid ante illatam lesionem non habebat. Quæ si observata non fuerint, justus Iudex, has umbratiles, fucatas & imaginarias justitias, injustitias esse judicabit. Quod lesio reparata, jus suum cuique tributum, & aequalitas rei ad rem perfectumque medium & æquilibrium, justitia indispensabiliter connexum, observata non fuerint. Justitia enim nec legibus,

nec

D E D I C A T I O.

nec legum interpretationibus, nec Interpretum ac judicum, & Advocatorum affectibus alligatur, sed suum perfectum æquilibrium & indivisibile medium observari precipit, ac suas sententias nequaquam inter casus fortuitos reputari permittit. Id quod optime innuit Petrus Blesensis, in cap. lib. iob. Discant quæso inquit, nostri legistæ quid eis ad salutem animæ confert, ille civilis & picturatus loquendi modus, ille Babylonius Calix, quo inebriantur peccatores terræ, illæ Principum leges, quibus ego aliquando militavi. Ullus tamen earum vitæ hominum utilissimus esset, nisi bonitate ipsarum abuteretur humana malitia. Idemq; Epistola 86. Non inficior ait, bonum esse scire leges, sed non ad quæstum non ad iniquum juris compendium, sed ad veritatis inquisitionem, & judicij æquitatem. Hodie soli avaritiæ militant causarum patroni,

D E D I C A T I O.

illudq; quondam venerabile nomen, & gloriola professio advocati, notabili venalitate vilescit, dum miser & perditus linguam vendit, lites emit, matrimonia legitima dissolvit, amicitias rumpit, sopitarum litium cineres resuscitat, pactiones violat, detrectat transactiones, privilegia frangit, & in capturam pecuniæ pedicas & retacula tendens, jura omnia intervertit. *Vnde ad favorem justitiæ optimè suavit* *Franciscus Patricius, lib. 3. de repub. c. 6.* Orent, inquit, causas Patroni viri optimi, dicendiq; periti, qui nihil astute, nihilque per dolum malum agant, sed omnia verè loquantur, sitq; illis mendacium non impunitum. Nihil enim in Republica tam incorruptum esse debet, quam judicium, quod quidem sæpius lingua quam pecunia corrumpitur. *Et Paulo infra de iniquarum causarum patronis.* Vendunt enim ait, justitiæ

tiæ

D E D I C A T I O.

tiae patrociniū , & optimum inter
 mortales defendendi deserunt officium,
 & nunc reum, nunc vero actorem
 emungunt, & demum utrumque decipiunt.
 Peccant deinde nonnulli, qui patrociniū
 defensionis suscipiunt idque deinde tam
 lentè agunt, ut parvo discrimine à prævaricatoribus
 absint. Vera est enim illa Ciceronis sententia:
 non defendi homines sine vituperatione
 fortassis posse, negligenter verò defendi
 sine scelere ne utiquam posse. *Inter
 hac autem hoc unice mirandum est,*
quod pleriq; causarum iniquarum Patroni,
non in rei veritate, sed in solis juris & le-
gum formalitatibus justitiam querant, &
ex hoc justi & boni viri esse velint; etiam si
aliquando injuste judicent: cum tamen ut
inquit Ethicus: Totius injustitiæ nulla
sit capitalior, quam eorum, qui cum
maximè decipiunt, id agunt, ut boni
esse viri videantur. Perge igitur Celsis-

A S

sime

D E D I C A T I O

*sime Princeps, potentissimam Reginam
 justitiam venerari, nam per illam, non ve-
 ro fucatae justitiam, firmabitur solium
 tuum. Non est enim potens, teste S. Au-
 gustino, in exposit. psalm. 61. nisi justi-
 tia. Vana est inquit, iniquitas, nihil est
 iniquitas, potens non est nisi justitia.
 Occultari potest ad tempus veritas,
 vinci non potest. Florere potest ad
 tempus iniquitas, permanere non po-
 test. Confortare igitur & esto robustus,
 manus tuae in cervicibus tuorum & justi-
 tiae inimicorum. Accingere gladio ju-
 stitiae super femur tuum, ad faciendam
 vindictam in nationibus, increpationis
 in populis. Ad hoc enim electus es in
 Principem, ut nec temere nec timide,
 sed prudenter constanter & generose, vel-
 las destruas, aedifices & plantes; ut ex-
 hibeas te injustis invasoribus Moysen,
 fornicantibus Phinees, avaris Helifeum,
 mentientibus Petrum, blasphemantibus
 Pau-*

D E D I C A T I O.

Paulum, in domo Dei negociantibus Chri-
stum. Ut consummato justitiæ cursu,
expleto bono certamine, servata fide,
post diuturnum & felicissimum in terris
Regimen, à justitia aeternam & immarces-
cibilem justitiæ & gloriæ coronam acci-
pias. Quod tibi ex intimo cordis affectu
& devotione voveris, qui est

Illustrissimæ & Reverendiss.

Celsitudinis Tuæ

Devotissimus & humillimus servus

& Vicarius

Laurentius à Dript.

A P P R O B A T I O.

Ignorantia Judicis plerumq̄ calamitas est Innocentis, inquit S. P. August. l. 19. de Civ. Dei, c. 6. Ignorantia S. Canon. Jud. Ecclesiast. & Regularis, qualis & quanta possit esse subditorum calamitas, in opusculo, cujus titulus est (*Cautio Judicialis Prælator. Ecclesiastic. & Regularium, &c.*) probavit eruditè & clarè ex Jure Canonico Reverendiss. & Amplissimus Author, Laurentius à Dript, Ord. S. Bened. Professus Gladbacensis, S. Theol. Lector, Celsiss. & Reverendissimi Principis & Episcopi Paderbornensis in Ecclesiasticis Consiliarius, & Vicarius in Spiritualibus Generalis. Hinc, cum nihil contineat contra fidem aut bonos mores, dignum judico, quod mediante typo & prælo lucem videat, ut, qui ignorant, in eo possint discere; Subditi, in quibus & qualiter sit obediendum, & Prælati qualiter in judicando & præcipiendo sit procedendum, nisi, quod absit, erubescant discere, quod ignorant, contra Monitum S. P. Aug. serm. 38. de temp. Colonix in S. August. Conventu Anno 1684, die 10 Martij.

F. Joannes Sch Weitzer, Ord. Erem. S. P. Augustini, Provinciæ Coloniens. Provincialis, S. Theol. in Univers. Colon. D. & Prof. Ord. ac Publ. S. Facult. Theol. p. t. Decanus.

A P P R O B A T I O.

Hæc *Judicialis Cautio*, uti *cautè* ab Am-
plissimo suo Domino Auctore, ac sine
errore contra fidei sinceritatem, bonos mo-
res, ex ipsis Sacrorum Canonum fontibus
desumpta, & in breve hoc compendium re-
ducta est; ita eandem prælo dignissimam
censeo. Habent enim hic *Praelati Ecclesiastici,*
& *Regulares*, in promptu, undè *cautè* discant,
& quod ajunt, *plumbeo incedere pede*, ne suas
in criminalibus subditorum suorum deci-
dendis causis præcipitent sententias: sed jux-
ta Apostolicum monitum (*Justum Judicium*
judicate, Joan. 7. v. 24.) statuam, quod æquum
est, & justum. Coloniae 9 Januarij 1684.

F. Leonardus Messen,
Ord. Præd. S. Theologiae Doct.
& *Profess. ordinarius.*

Censura Ordinarij.

Librum inscriptum; *Cautio Judicialis Prælatorum Ecclesiasticorum & Regularium*, attente legi, in quo obligationem Ministerio Prælatorum incumbentem, à Sacris Canonibus præscriptam, Concilijs Æcumenicis demandatam, & Sanctis Patribus inculcatam, reperi. Quem si Prælati & subditi, *cantè* & deposito pravæ deordinationis cauterio, *instulatâ* conscientia legant, & doctrinam in eo traditam sequantur, illi *justa justè judicantes justificabuntur*, hi verò ob demerita correpti, Prælatis non solum bonis, sed etiam discolis, parendum esse cognoscent. Quare cum dictus liber nihil fidei, vel bonis moribus contrarium, sed omnia sacris Canonibus, & menti SS. Patrum conformia contineat, ad utilitatem *Prælatorum & Subditorum tam Ecclesiasticorum quam Regularium*, lucem meretur publicam. Datum Coloniz Agrippinz 19 Januarij 1684.

*Fr. Theodorus Deghens, SS. Theol. D.
Canonicor. Regular. S. Crucis ad Rhenum
Prov & Prior Coloniz, Ordin.
librorum per Archidiaec. Col. Censor.*

PRÆFAT. AD LECTOREM.

IN Speculo meo Archidiaconali, se &c.
In prima art. nono, paucis demonstra-
vi, quod licet vigore Concil. Trid. Sess.
24. cap. 10. de reform. non competat
Decanis, Archidiaconis, alijsque infe-
rioribus iudicib⁹, sed soli Episcopo ex-
aminare, & decidere causas matrimo-
niales, nihilominus juxta decisum S.
Congregationis Cardinalium & Epi-
scoporum. S. Concilij Trident. Inter-
pretum, si Archidiaconi ab immemo-
riali tēpore, sint in possessione & con-
suetudine, tales causas iudicandi, in illa
manuteneri debeant, nec Concilium
talem possessionem & consuetudinem
imemorialē sustulisse. Cum vero cau-
sæ matrimoniales, sive ex natura sua,
sive ex constitutione Pontificia, in c. *Di-*
spendiosam clemēt. 2. de iudicijs sint sum-
maria, debeatq; & soleat in illis *summa-*
rie, simpliciter, de plano, sine strepitu & fi-
gura iudicij procedi, necessariū & è re
pluri-

P R A E F A T I O

plurimorum esse duxi, exiguum hunc tractatulum publici juris facere, in eoq; brevitate (quam materia permittit) possibili demonstrare: quid sit processus *summarius*, in quo *summariè simpliciter, de plano, sine strepitu & figura judicij, levato ut ajunt velo*, & aliquando etiam *sola rei veritate inspecta* proceditur, & quænam ad illum necessario & indispensabiliter requirantur, vel etiam salva conscientia & justitia omitti possint. Occasionemq; hujus scriptio- nis dederunt diversimodæ mihi alijsq; datæ commissiones, in quibus mandabatur, *simpliciter, de plano, ac sine strepitu & figura judicij*. procedi, ut ea propter pro conscientia meæ securitate, justitiæ & partium utilitate, cœperim fundamenta talis processus in SS. Canonibus, & celeberrimis illorum interpretibus, magno labore inquirere, & inquisita ac reperta typis mandare, ut
 de in-

AD LECTOREM.

deinceps illi, quibus talis commissio
dabitur, qualiter procedere, quæ ob-
servare, & quæ declinare debeant, per-
fecte scire valeant.

Et licet specialior sit obligatio Offi-
cialium, Archidiaconorum, aliorumq;
ex officio constitutorum Ecclesiasti-
corum judicum, ut sciant quæ ad summa-
rium processum, in quo *sine judiciorum*
strepitu proceditur, requiruntur; non
minorem tamen his obligationem ha-
bent Superiores, & Prælati Regulares,
non solum juxta SS. Canones & Pon-
tificias constitutiones, sed etiã vigore
statutorũ cujuslibet ordinis, in quibus
mandatur, contra Regulares, in cau-
sis criminalibus & excessibus graviori-
bus, *de plano & absq; judiciorum strepitu*
procedi, cujus rationem dat Pontifex.
Gregorius IX. in *cap. olim x. 26. de ac-*
cusat. cum talibus inquit, *nõ deceat Dei*
servos involvi. Et hæc obligatio tanto
major

major

PRÆFATIO

major est, quo majoribus animarum lia
 & conscientia periculis se exponunt pe
 & graviora damna sæpe in fama, ho pro
 nore & æstimatione subditis inferunt pro
 si ob ignorantiam talis Processus *sum nis*
marij contra justitiam judicent. Sed *ma*
 prò dolor tanta est aliquorum tam Ec *cis*
 • clericorum, quam Regulariù Præ *de*
 latorum, SS. Canonum ignorantia, ve *ra*
 • potius præsumptio, audacia & temeri *sin*
 tas, ut arbitrentur se vigore talis *sum cis*
marij Processus, à lege divina & natural *an*
 • exemptos, nec divinis nec humanis le *cis*
 gibus teneri, posse que pro suo libitu *pr*
 sine ullo conscientia scrupulo, subdi *m*
 ros suos per testes omni exceptione *el*
 majores, & juratos, nunquam convi *re*
 ctos, vel confessatos, excommunicari *os*
 re, suspendere, degradare, incarceratione *la*
 re, vel ut incorrigibiles ex ordine di *lit*
 mittere; per hæc se aternæ damnatio *gi*
 nis, & taliter condemnatos, præter a *g*

lia

AD LECTOREM.

um lia damna & præjudicia, desperationis
 unt periculo exponentes. Qui si suæ in
 ho professione fidei (quam ad dignitates
 ant promoti emiserunt) factæ promissio-
 sum nis & obligationis, scil. *cætera etiam o-*
mnia in sacris Canonibus & Oecumeni-
Ec cis Concilijs, ac præcipue à Sacrosancta Tri-
ra dentina Synodo tradita, definita & decla-
rata, indubitanter recipio, atque profiteor,
eti simulq; contraria omnia, atq; hæreses quas-
um cumque, ab Ecclesia damnatas, rejectas &
ral anathematizatas, ego pariter damno, reji-
le cio & anathematizo; si inquam hujus
 tu promissionis & ex ea derivatæ jura-
 di mento firmatæ obligationis memores
 ont essent, majorem SS. Canonibus reve-
 vi rentiam haberent, & tam se, quam su-
 ea os, ad evitanda supra recensita pericu-
 ra la gravia, magis in illis addiscendis qua-
 di lificarent.

io. Ut ergo supra allatis, similibusque
 a gravissimis malis & incōvenientijs, ob-
 lia ex &

P R A E F A T I O

ex & remora objiciatur, tractatulum del
 hunc scribere, & toti mundo palam far
 facere volui, cujus intentio principa sus
 • liter eo dirigitur, ut gravissimæ & plu mi
 rimæ injustitiæ, quas sub pretextu pro libi
 cessus, in quo summarie & sine strepi tis,
 tu & forma judicij proceditur, à vigin lic
 ti circiter annis, quibus Celsissimis & Su
 Reverendissimis pijsimæ memoria do
 • Christophoro Bernardo uti Admini jul
 • stratore Corbejensi, Ferdinando Prin qu
 • cipibus & Episcopis Monasteriensibus ob
 • & Paderbornensi, nec non moderno lu
 Paderbornensi Hermanno Wernero &
 à sacris & Ecclesiasticis consilijs sui, in- bu
 ferri vidi, deinceps præcaveantur, & fic
 Prælati tam Ecclesiastici, quam Regu- D
 lares, cujuscumque dignitatis vel or- ru
 • dinis sint, hic suam obligationem & &
 pericula videre & præcavere possint. vi
 Videbunt hic Prælati, quomodo con- tu
 tra suos subditos si graviter vel leviter
 delin-

AD LECTOREM.

delinquant, procedere, & quæ neces-
sario ex ordinatione summarij proces-
sus, observare debeant, nec non & li-
mites ac terminos à Concilijs Genera-
libus, SS. Canonibus, Regula & statu-
tis, sibi præstitutos, quos præterire non
licet. Videbunt & subditi suam erga
& Superiores obligationem, & quomo-
do se habere debeant, si ab illis contra-
justitiam & SS. Canones graventur, id-
que ad utrorumq; cautelam. Et hanc
ob causam libellum intitulavi; *Cautionem
Judicalem Prælatorum Ecclesiasticorum
& Regularium*, quam duabus sectioni-
bus, cum insertis articulis infra speci-
ficatis expediam, omnia ad majorem
Dei, magnæ Matris omniumq; sancto-
rum gloriam. Vale benevole lector,
& exiguo meo labore fruire, ac de
*vultu tuo iudicium meum prodeat, oculis
tui videant equitatem.*

Sectionis

I N D E X.

Sectionis Primæ.

Art. 1. **E**xplicatio verborum Summarie
de plano, simpliciter, sine strepi-
tu & figura iudicij. Sola rei veritate in-
specta.

Art. 2. Quis causas simpliciter & de plano,
sine strepitu, & figura iudicij decidendas,
committere possit.

Art. 3. Quanam causa summarie de plano,
sine strepitu & figura iudicij, decidi pos-
sint, vel debeant.

Art. 4. An, cum summarie, sine strepitu,
& figura iudicij proceditur, reus citari
debeat.

Art. 5. An, quot, & quales testes, in iudicio
summario, contra reum produci possint
vel debeant.

Art. 6. An, & qua defensiones, dilationes
& exceptiones, dum summarie proce-
ditur, concedi debeant, vel denegari pos-
sint.

Art. 7. An, vigore summarij processus, sen-
tentia contra absentem ferri possit.

Sectionis primæ Summarium.

Sectio

I N D E X.

Sectio Secunda.

De iudicio Summario Regularium.

Art. 1. **A**N causa Regularium, simpliciter, de plano, sine strepitu & figura iudicij, decidenda sint?

Art. 2. An, omnes & quanam Regularium causa, sine strepitu & figura iudicij decidi possint.

Art. 3. Quis in iudicio Regularium iudex Ordinarius.

Art. 4. An, Praesidens Principalis alicuius Congregationis, non exempta habeat immediatam jurisdictionem in Abbates, & Monachos, talis Congregationis.

Art. 5. Quam potestatem habeant Visitatores, in Capitulo Annali constituti, in Abbates & Religiosos, Monasteriorum, sibi ad visitandum conceditorum.

Art. 6. Capitulum Triennale, Annale vel etiam Generale, qualem potestatem tam in Monachos quam Abbates habeat & quae statuere possit.

Art. 7. An Capitulum succedens praecedentis Capituli statuta, abrogare & interpretari possit.

Art. 8.

I N D E X.

Art. 8. An, quos & quomodo SS. Canon obligent:

Art. 9. An consuetudo sacris Canonibus contraria eorum vim & obligationem tollat.

Art. 10. An iudex & Superior Ecclesiasticus vel Regularis, in ferenda sententia, sua privatam scientiam sequi possit, an vel illi quam habet ex allegatis & probatis conformare debeat.

Art. 11. Quid Carcer, an & ob quas causas Superior Ecclesiasticus vel Regularis, subditum suum incarcerare, ex ordine dimittere, ad triremes damnare, excommunicare, vel suspendere possit.

Art. 12. An Clericus vel Religiosus, à sententia sui Pralati uti Ordinarij appellare possit.

Art. 13. In quibus causis Clericus vel Religiosus à sententia sui Pralati & ad quem appellare possit.

Art. 14. An, & quas pœnas incurrant Superiores injuste sive cum excessu, ex cap. S quis suadente diabolo, suos subditos verberantes, vel alio modo violenter invadentes.

Formulare pro Superioribus tã Ecclesiasticis quam Regularibus, procedendi contra suos subditos, in causis diffamationum.



SECTIONIS PRIMÆ

ARTICVLVS I.

*Explicatio Verborum. Summa-
rie. De plano. Simpliciter. Sine strepitu
& figura iudicij, solarei veritate
inspecta.*

Clement. de verb. Signification.
cap. 2. pro solutione hujus du-
bij & explicatione supra alla-
torum verborum. Sæpè inquit, contin-
git, quod causas committimus, & in earum
aliquibus simpliciter & de plano, ac sine
strepitu & figura iudicij, procedi manda-
mus: de quorum significatione verborum
à multis contenditur, & qualiter procedi
B debe-

2 CAUTIO JUDICIALIS

debeat, dubitatur. Nos autem dubitationem hujusmodi (quantum nobis est possibile) decidere cupientes, hac in perpetuum valitur a constitutione sancimus, ut Index cui taliter causam committimus, necessarium libellum non exigat, litis contestationem non postulet, tempore etiam feriarum necessitates hominum inductarum à jure procedere valeat: amputet dilationum materiam, litem quantum poterit faciat brevior, exceptiones appellationes dilatorias, & frustratorias repellendo: partium advocatorum, & procuratorum contentiones & jurgia, testiumque superfluam multitudinem, refranando. Non sic tamen Index litem abbreviet, quin probationes necessarias & defensiones legitime admittantur. Citationem verò, ac prestationem Juramenti de calumniâ vel malitiâ, si ve de veritate dicenda ne veritas occultetur, per commissionem hujusmodi, intelligimus non excludi.

In

In quibus verbis Pontifex, quid illa verba *simpliciter, de Plano &c.* Simul sumpta significant explicat, quid autem singula in particulari seorsim sumpta importent, non determinat. Et bene hic notanda verba, *quantum nobis possibile est*, per quæ indirectè innuitur, in hoc processu summario, aliqua occurrere, quæ difficulter explicari valeant; sed prudentis & intelligentis Judicis arbitrio relinqui debeant. Occurrentes enim in processu summario circumstantiæ, aliquando Judicem, Justitiæ Zelatorem, & sufflaminum litis osorem inducunt, & quodammodo urgent, ut litem abbreviet, & exceptiones frustratorias, tanquã ad veritatis manifestationem non necessarias amputet, & elidat; aliquando ea, quæ alias ad summarium non requiruntur, sed ad ordinarium processum spectant, non amopotelandæ litis, sed veritatis

B 2

cogni-

cognitione, propter Advocatorum *sum*
 technas admittere debeat, ne appella- *ac*
 tionibus occasionem præbeat, & se ip- *Im*
 sum confusione exponat. Quare in his *to*
 certum quid determinare, moraliter *qu*
 impossibile est. *sum*

Hinc optime *Mevius p. i. decis. 188. ter*
 • *Pertinet, ait, in summarijs, ad Iudicis ar-*
bitrium que sint pro cognitione necessaria ad
determinare. Igitur ad particularia de- & j
scendendo, simpliciter juxta Gloss. ad cap. sim
sapè contingit, idem est quod sine plica vel qu
involutione Ascan. Tambur. in praxi crim. rie
Abbat. q. 3. n. 12. Clausula summarie, ait, qui
id proprie significat, ut que ad Iudicij vim, ido
atq; essentiam spectant, solum requirantur
ur, nec citentur rei ad testium juramenta 8.
 • *videnda, nec testium examinatorum, ac qu*
 • *informatiorum seu capitulorum copia il- sum*
 • *lis detur, per ea que docent Felin. in cap. pit*
dilecti filij n. 2. de judic. Particula simpli- ba
citer, non tollit ordinem Iudiciarium & &
 sub.

um *Substantialia iudicij sed tantum dilationes*
 illa *ac perniciosas subtilitates.* Ita Alex. de
 ip. Imola. Oldra. Panorm. Card. Tusch.
 his tom. 7. concl. 887. n. 2. *summarie in-*
 ter *quit, idem est quod summa, id est brevis, ut*
summatim illud dicatur, quod fit brevi-
 88. *ter.* Et concl. 890. n. 22. *verbum sum-*
 ar. *marie importat breviter & summarie,*
 ria *additq; num. sequenti, quod simpliciter*
 de. *& summarie idem important.* Sicut &
 ap. *sine figura iudicij importat per se omnia,*
 vel *quæ important omnia simul: Summa-*
 im. *rie simpliciter & de plano sine strepitu & si-*
 nit, *gura iudicij.* Quia ex istis verbis ultimis,
 im. *idem effectus consequitur.* Idem ibid.
 in- *num. 28. Marant. in suo spec. p. 4. dist.*
 ata *8. n. 10. possem, hic inquit, congruenter*
 ac *querere sigillatim de singulis scil. de verbo*
 il- *summario, de verbo simpliciter & sine stre-*
 ip. *pitu, & sic de singulis, tamen quia ista ver-*
 li- *ba sunt plenè declarata, per Gloss. & Card.*
 & *&c. ideo ad dicta per eos me remitto.* Ex

6 CAUTIO JUDICIALIS

contextu autē cap. *sapè contingit* patet Pontificem, non ponere vim in singulis verbis sigillatim, sed simul sumptis, quare illis separatim explicandis immorari superfluum est. Maxima autem energia est in illis verbis, *sine strepitu & figura iudicij* nec non in his, *sola rei veritate inspecta*, quæ ea propter paulo accuratius explicanda sunt.

Per verba ergo, *sine strepitu & figura iudicij* censetur relaxatus omnis ordo Judiciarius, adeoq; est tantæ importantiæ, ut faciat causam *summariam* in qua procedi possit, omissis omnibus substantialibus, Judiciorum & omni ordine iudicij, adeo quod sola solemnitas Juris gentium, servari debeat, Marant. p. 4. dist. 8. n. ii. Non requiritur proin libellus formalis in scriptis, sufficitq; petitio solo verbo facta, & per Notarium ad acta redacta, eo quod talis petitio sit de jure naturali, ideoq; omitti

omitti non possit. Idem ibid. n. 12. imo potest ab articulis incipi, habebuntq; illi locum petitionis n. 18.

Nec secundo tenetur Judex vigore hujus clausulæ, servare ferias ob necessitatem hominum inductas, scilicet tempore Vindemiarum & messium, benè tamen ob honorem Dei, vel sanctorum, institutas. *Gloss. ad cap. sæpè contingit verb. Feriarum.*

Tertio vigore dictæ Clausulæ, non requiritur litis contestatio & actus qui in Judicijs ordinarijs post litis contestationem sequitur, in summarijs habet vim litis contestationis.

Quarto tenetur Judex causam brevviare, & dare breviores dilationes, & amputare frustratorias exceptiones, *cap. sæpè, & gloss. ibid.*

Quinto non requiritur publicatio sententiæ, habetq; sibi imputare litigans, quod non petit publicationem,

8 CAUTIO JUDICIALIS

quâ denegata appellare potest; si non
petat valet sententia in summarijs. *Ma
rant. ibid. n. 22. & 23.*

Sexto nec requiritur conclusio, sed
est in electione Judicis, an velit illam
facere, vel non *idem ibid.*

Septimo in summarijs potest Judex
incidens cum principali decidere, nec
tenetur super casu incidenti prius pro
nuntiare. *ibid. n. 26.*

Octavo & ultimo, potest Judex vi
gore hujus clausulæ, etiam post con
clusionem interrogare partes & testes,
non solum ex officio, verum etiam ad
partis instantiam. *Gloss. ad cap. sæpè con
tingit verb. interrogabit.*

Clausula verò, *sola rei veritate inspe*
ctâ plus importat, quam omnes aliæ si
mul, adeo, ut per illam censeantur sub
latæ omnes solemnitates Juris positivi.
*Felin. in c. olim X. 26. de accus. ad cap. di
lecti X. 6. de iud. verb. subtiliter. Subtili*
tates

non tates in causis ecclesiasticis, inquit, reprobandas esse, quia hujusmodi subtilitates ad pernitentiam revertuntur, cum enim de bona fide agitur, de apicibus Iuris non est disputandum. Proinde vigore hujus clausulæ, omnia importantis, quæ importat clausula sine strepitu & figura Iudicij, Judex potest procedere, ut Deus, qui soli veritati innititur. *Aut. de Butr. Alexand. &c.* admittere testes infames, & alias de jure civili reprobatos, quod tamen non potest, si illa formalia sola rei veritate inspecta omittantur. *Abb. in c. dilecti.* Sententiam definitivam in stando ferre, non sedendo pro tribunali, si enim id fieri possit vigore clausulæ, sine strepitu & figura Iudicij, juxta *text. in d. clement. sæpè*; multo magis vigore hujus clausulæ, quæ est majoris importantiæ. *Marant. ubi sup. n. 33.* Insuper potest Judex vigore hujus clausulæ contra contumacem, etiam lite

non contestata procedere ad definiti
 vam, *Felin. in c. olim de accus.* sententi
 tamen in summarijs æq; ac in ordina
 rijs in scriptis ferri debet. *Abbas in*
Albericus Felin. in princ. de test.

His pro explicatione verborum
simpliciter de plano &c. necessario præ
 suppositis *Glossa ad cap. sepè conting.* Cle
ment. 2. de verb. signif. non contemnen
 dum dubium movet, an scil. si illa
 omnia verba non jungantur, sec
 commissio ponatur, ut sit vel tantum
simpliciter & de plano, vel tantum *absq;*
strepitu vel *de plano absq;* *strepitu* vel *sim*
strepitu & figura, ita ut aliquod horum
 tantum ponatur, an in tali casu, sit lo
 cus huic constitutioni? Et responde
 in tali casu constitutionem, secundum
 omnem sui partem non habere lo
 cum, præsertim si omittatur clausula,
sine figura iudicij cum ut dictum est, per
 illam omnis ordo & processus Judicia
 rius

rius tollatur. Et horum ratio est, quod
tales commissiones exorbitent à jure
communi, adeoq; nisi id expresse post
se trahat intentio committentis, de fa-
cili admittendæ non sunt. Et optime
ad hoc propositum notat *glossa ad cap.
20. de heret. in 6.* quod si committens,
det potestatem procedendi simplici-
ter, de plano & sine Judiciorum strepi-
tu, omittens sine judiciorum figura, in
tali casu tenetur Judex vel Commissa-
rius servare ordinem Judiciarium, in
libelli oblatione, in exceptionibus, di-
lationibus, litis contestatione, Jura-
menti & testium receptione, senten-
tiæ prolatione & aliis. Quæ tam à
committente, quam Judice commissi-
onis, benè observanda sunt.

*Quis Causas simpliciter, de plano,
sine strepitu & figura Iudicij, deciden-
das, committere
possit.*

Iurisdictionem Ordinariam, vel de
Legatam in Iudice, tam superiore
quam inferiore, ad Judicandum ne-
cessariam, & sine illa omnia ab eodem
facta ipso jure nulla esse, imo eundem
peccare mortaliter, tanquam usurpan-
tem alienam potestatem (quæ res val-
dè gravis est) sententiamq; ab eodem
latam in validam esse patet ex *Navar. in
man. cap. 25. Soto de Iustitia lib. 3. q. 4. a.
2. D. Thom. Iulio claro & aliis à Tamburino
in praxi crim. Abbat. q. 1. n. 9. & 10. cit.*
Proinde necessarium scire est, quis
causam summarie decidendam com-
mittere possit.

Resp

Resp. Quod solus Princeps, superiore non recognoscens, causam summarie, simpliciter, de plano, sine strepitu & figura iudicij decidendam committere possit.

Ita satis insinuat, & declarat Pontifex in cap. *sepe in clem. 2. de verb. significat. sepe in quiens contingit*, quod causas committimus, & sine figura iudicij procedi mandamus, ubi Gloss. ad verb. *mandamus* asserit, quod alius etiam legatus delatere, non possit huiusmodi commissionem dare, & Gloss. ad cap. *statuta 20. de hereticis in 6.* pro certo habet, quod nullus inferior à Papa, etiam legatus, in casu non permissio à jure, possit vel committere, vel ipse cognoscere causam summarie & sine figura iudicij; refutatisq; argumentis quæ pro legato militare poterant, tandem concludit. *solus autem princeps jus alterius* (subintellige cum Baldo ex justa causa) *as-*

ferre potest. Cognoscat ergo, & committat etiam legatus ordine juris servato, cuius rationem addit; legatus enim habet se instar pro consulis, de offic. leg. cap. 2. & pro consule ea, quae communia sunt, Praesidibus servare debet, nec in generali deman- datione, videtur mandatum, quod specia- liter mandaturus non fuisset. Putat ni- hilominus Maranta dist. sup. cit. num. 3. ex Felin. & alij in cap. olim de recusat. in legato de latere, hoc reperiri speciale, quod de stylo causam, ita committere possit, licet non de jure.

Igitur nullus inferior Papa, cujus- cumq; dignitatis vel conditionis sit, exceptis casibus in jure expressis, arti- culo sequenti specificandis, causam ut simpliciter de plano sine strepitu & fi- gura Judicij decidatur, committere potest.

Dubium autem occurrit, ut si v. g. aliquis Principi, in casibus à jure per-
mis-

missis vel expressis, porrigit supplicationem, in qua causæ & facti speciem narrat, & in fine supplicationis petit causam committi *summariè & de plano* &c. Princeps verò in suo rescripto nihil specificat, sed tantum rescribit, *audiat N. talis & justitiam faciat*; an per hæc verba censeatur causam summarie committere? Et respondendum quod non, quia nunquam censeatur Princeps causam *summariè* committere, nisi expresse hoc exprimat, ita *Rota decis. 358.* satisq; id ipsum colligitur ex verbis, *justitiam faciat*, quæ aliud non sonant, quam quod Commissarius servet ordinem Juris, & veritate comperita, quod justum est statuatur, quia si Princeps aliter procedi voluisset, hoc utiq; expressisset.

Quod si Princeps libello supplici inscribat, *Audiatur talis & procedatur summarie*; alias clausulas simpliciter & de plano

plano

plano &c. omittendo, tunc non omnia
 impetrata consensus concessa. *Rot. de co-*
cis. 77. quæ incipit. Si petitur. Major dif-
 ficultas est, si Princeps libello supplici
 inscribat: *Fiat ut petitur*, an scil. in tali
 rescripto censeatur supplicans, omnia
 contenta libelli supplicis impetrasse.
 Et licet quidam affirmativam teneant,
 veritas tamen est in contrarium, quod
 scil. per illa verba, *fiat ut petitur*, non
 censeatur *summariè* committere idq;
 ob causam supra allegatam; quod cau-
 sam *summariè* committere, sit contra
 jus commune, adeoq; si Princeps cau-
 sam taliter comittere velit, id distincte
 exprimere obligatur, vel secundum o-
 mnes, vel solum clausulas sibi placitas.
Marant. ubi sup. num. 7. Philip. Cor. in
cons. 5. col. 3. Bald. in l. cum apud C. de com-
muni ser. man.

Ex omnibus jam dictis manifestum
 evadit, quod si summus Pontifex cau-
 sam

niam in partibus, alicui committat, etiã
 de. contra Regularem, nulla facta mentio-
 dif. ne clausularum, sine strepitu & figura
 lici Judicij, si causa est eriminalis, vel gra-
 tali ve præjudicium post se trahens: non
 niam est integrum commissario *sola rei veri-*
 fle. *tate inspecta* procedere, sed obligatur
 ut, servare omnia quæ sunt Juris divini & na-
 tod. turalis, imo etiam quæ sunt Juris posi-
 non. tivi, si aliter ad convincendum reum
 dç. pertingere non possit, nec aliter nisi
 au. per testes juratos convictum vel con-
 tra. fessatum damnare potest; sed de his
 au. plura infra, cum de Regularib⁹ agetur.

ARTICVLVS III.

Quanam cause summarie de pla-
no, sine strepitu & figura Iudicij, decidi
possint vel debeant.

NON est intentio mea, hic specifi-
 care omnes causas, quæ de jure
 etiam

etiam civili summarie decidi possunt, uti sunt, causa momentanei possessori. Causæ quæ in curia mercatorum ventilari solent. Item quando agitur contra debitores tributorum & collectarum, nec non contra gabellatos passgerios & platearios. Causæ naufragorum, criminis læsæ majestatis, alijsque his similibus, quarum specificatio apud legistas reperire est: sed solum adducere causas, quæ de jure Canonico summarie & de plano &c. decidi possunt.

Quasdam causas summarie decidendas adducit Pontifex in *Clement. 2. de Judic.* hisce formalibus. *Dispendiosam prorogationem litium (quam interdum ex subtili ordinis Judiciarj observatione causarum, docet experientia provenire) restringere in subscriptis casibus cupientes: statuimus ut in causis super electionibus, postulationibus, vel provisionibus, aut super dignitatibus personatibus, officijs, Canon-*

in canonicatibus vel præbendis, seu quibusvis
 beneficijs Ecclesiasticis, aut supra decimis,
 nec non super Matrimonijs, vel usuris &
 eas quoquo modo tangentibus, ventilandis
 procedi valeat de cætero simpliciter, & de
 plano ac sine strepitu iudicij & figura. Ex
 quibus patet causas summarias esse.

1. Causas Electionum, postulatio-
 num, provisionum, dignitatum, offi-
 ciorum, Canonice, Præbenda-
 rum, & quorumvis beneficiorum ec-
 clestasticorum.

2. Decimarum.

3. Matrimoniales.

4. Usurarum, & quæ has, similesvè,
 quoquo modo tangunt.

Præter hæc causæ summariæ sunt se-
 quentes.

5. Causæ in quibus agitur contra
 Religiosos, maximè per viam inquisi-
 tionis, nam ibi non requiritur ordo ju-
 diciarius, sed de plano agitur, text. in cap.

olim

olim X. 26. de Accusat. sed de his plura infra.

6. Quando agitur de restitutione dotis, in casu soluti Matrimonij, *Card. ple in d. Clem. dispendiosam in q. 30.*

7. Causæ in quibus agitur contra absentem. *Felin. in cap. causam.*

8. Causæ summarix, sunt causæ miserabilium personarum, pauperum, viduarum & pupillorum, debentq; causæ tales expediri, sine solutione sportularum, possuntque tales miserabiles personæ, trahere laicos coram Judice Ecclesiastico. *Abb. & Felin. in cap. significantibus de offic. deleg.* Subintellige tamen si tales viduæ & pupilli verè sint pauperes, secus si sint divites, quia non dicuntur tunc miserabiles personæ *Abb. ibid.*

9. Causa hæresis. *cap. statuta 20. de hereticis & schismaticis in 6.*

10. Causæ testamentorum & legatorum ad pias causas.

11. Omnis causa quæ non requirit plenam causæ cognitionem. *Card. tom. 7. conclus. 887. num. 26.* & alia quæ vide apud *Card. Tuschum. Marantam* & alios.

ARTICVLVS IV.

An cum summarie, sine strepitu, & figura Iudicij proceditur, reus citari debeat.

Citationem, rei que interrogationem, esse speciẽ defensionis, quæ est Juris naturalis, cum ad hoc introducta sit, ut quis se defendere possit, nec à supremo Principe, licet sumario Iudicio, in subditorum causis procedat, etiam de plenitudine potestatis omit-
ti, vel tolli posse, clarum est, ex *Clem. Pastoralis de re judic.* & not. *Bart. in l. filius familias ff. de donat.* Et Deus ipse volens

lens

lens Adam de patrato & notorio cri-
 tate mine damnare, illum prius vocavit, ve-
 citavit, atq; interrogavit, dicens; *Adam ter-
 ubi es? & quis indicavit tibi, quod nudus acco-
 esses, nisi quod ex ligno de quo praeceperam tibi
 tibi ne comederes, comedisti. Gen. 3. v. 10. &
 & 11.* Sed & fratricidam Cain, ad se ci-
 tatum interrogavit, *ubi est Abel frater tuus?*
*& paulo post, quid fecisti? Vox sanguinis fratris
 tui clamat ad me de terra. Genes. 4. v. 9.*
 Nec non & servum nequam, cui Paterfamilias,
 decem millia talenta dimiserat, is autem con-
 servum suum, ob debitum centum denariorum
 conjecerat in carcerem, ad se citatum
 interrogavit, & increpavit dicens: *Servus
 nequam, ve nequam omne debitum dimisi tibi,
 quoniam rogasti me, nonne ergo oportuit
 me misereri conservi tui &c. Matth. 18.*
 Unde citatio tam de jure divino, quam naturali,
 ita necessaria est in quolibet judicio,
 ut nisi reus citatus fuerit, vel citatio

citatio nulliter & non legitime facta sit,
 tã processus formatus, quam lata sen-
 tentia ipso facto corruant. *Gloss. in l. si*
accusatoribus C. de accus. Card. Tusch. tom.
1. conclus. 268. n. 1. 2. 3. & seq. citans Za-
barell. cons. 139. per tot. Abbat. in cap. ea
quæ de re Judic. Tamb. in prax. crimin. Ab-
bat. q. 3. n. 18. nec tantum citatio est ne-
 cessaria, sed ita necessaria, ut licet fa-
 cta sit, id non sufficiat, nisi de relatione
 & probatione, quod facta sit, appareat
 & doceatur ante sententiam, quia licet
 appareret post sententiam, tamen es-
 set nulla. *Card. loc. cit. n. 14.*

Manet ergo certum & indubitatum,
 neminem cujuscunq; criminis, vel fa-
 cinoris reum condemnari vel puniri
 posse, nisi prius à competenti Judice
 citatus, & auditus fuerit, concessaq;
 (*quæ nec ipsi diabolo denegari potest*) jure
 naturali competens defensio. Quo ta-
 men non obstante dolendum est, inve-
 niri

niri viros etiam qui religionis nomine gloriantur, suis odij, & vindictæ ambitionis, alijsq; passionibus sic implicitos ut non vereantur aliquos ex rumore & suspicionibus, ab hominibus malevoli originem trahentibus, diffamatos, non citatos, non auditos, minus confessos aut convictos, ex sola fama, nondum debitè & secundum ordinem juris probata, gravissimis pœnis affligere; tantis & tam horrendis injustitijs & oppressionibus, nullum aliud velamen & titulũ præferentes, quam quod prætenus rumor & fama *certa sit in omni vicinia, tam certa & indubitata fama rei, & evidentia, ut nulla tergiversatione celari possit.* Quasi verò Judex, facta fibitali allegatione, nulla facta inquisitione, super fama vel rumore, an veritate nitantur, ut de jure fieri potest & debet probatione, possit reum condemnare vel punire,

Casum

Casum hunc, & quæstionem proposui in meo speculo Archidiaconali Sect. 2. artic. 3. & ex Fagnano deduxi, ac inter alia quæsitum fuit, *an in notorijs servandus ordo juris, & requiratur citatio.* Item, *an in illis requiratur probatio.*

Ad primum respondi, quod sic, eo quod ex *Host.* & *Ioan. Andr. in cap. cum sit Romana in fin. de appellat.* multi dicantur notorij, qui non sunt & ideo justius & tutius sit nullum quantumcumq; notorium, damnari sine citatione, idq; conformiter ad cap. *consuluit X 14. de appellat.* ubi Pontifex, *sed cum multa* inquit, *dicantur notoria, que non sunt, providere debes, ne quod dubium est, pro notorio videaris habere.* Sed & quotidiana experientia, juri conformi videmus, Principes, etiam manifestos & notorios homicidas & latrones, nec non viarum publicarum & securitatis publicæ tur-

C

bato-

batores, aliosq; criminosos, non nisi citatos, confessatos, vel judicialiter convictos, assignato prius singulis advocato & defensore, qui eorum causam strenue defendat, tandem condemnare. Ad secundum similiter affirmative responsum est, pro cuius elucidatione

Sciendum est Principem vel Prælatum, procedere posse contra subditos criminosos, vel per viam *accusationis*, in qua se præsentat, Actor, qui allegata, sub pœna talionis probare obligatur, vel per viam *denunciationis Ewägelica*, qua fit ad correctionem paternam; aut judicialis, dum absq; onere probandi, sub pœna talionis, aliquid superiori ut iudici ore tenus denunciatur. Tertio per viam *inquisitionis* non generalis, sed specialis, cum in particulari de Titio, vel Sempronio, an tale, vel tale crimen commiserit, inquiritur. Præter-

tis

tis proin duabus prioribus *accusationis*,
 vel *denunciationis* vijs, ad propositum
 nostrum non ita servientibus, ultima
inquisitionis specialis via, id proprium
 habet, quod ad illam procedi non pos-
 sit, nisi præcesserit delicti infamia, vel
 clamorosa insinuatio, quæ vicem ac-
 cusatoris suppleat. *cap. inquisitionis §.*
tertia de accusat. ubi ad hæc inquit.

Ad præcedentem autem talem in-
 famiam, testimonium duorum, vel tri-
 um testium Juratorum, qui dicant se
 illum, contra quem Iudex procedere
 intendit, vidisse perpetrantē tale cri-
 men, non sufficit: cum illo non obstan-
 te maneat occultum, ita disertè *cap. in-*
quisitionis X. 21. de accusat, qui textus
 cum sit pulcherrimus, ut suos gravissi-
 mos errores præcaveant, qui ita facilè
 in subditorum vitam, cum æterno &
 irreparabili illorum detrimento, con-
 tra justitiam inquirunt, & ad punien-

dum procedunt, eundem totum ad li-
teram pono.

*Tertia dubitationis articulus contine-
bat, uti cum duo, vel plures jurati affir-
mant, aliquem crimen aliquod se videnti-
bus commisisse, de quo aliqua infamia non
laborat, aliquam illi pœnam infligere debe-
atis. Et utrum ad petitionem quorundam,
quasdam scedulas vobis occulte tradenti-
um, infamationem Episcopi continentem, sit
ad inquisitionem eorum qua in ipsis conti-
nentur cedulis procedendum. Ad hæc pau-
lò infra, inquit, respondemus, nullum esse
pro crimine super quo non laborat, infam-
ia, seu clamorosa insinuatio, non præcesse-
rit; propter dicta hujusmodi puniendum:
quin imò super hoc depositiones contra eum
recipi non debere: cum inquisitio fieri so-
lummodo debeat super illis, de quibus cla-
mores aliqui præcesserunt. Nec ad petiti-
onem illorum qui libellum infamationis por-
rigunt in occulto, procedendum est, ad in-
quisitio-*

quisitionem, super contentis ibidem criminibus, faciendam.

Peccat proin gravissimè contra justitiam, & sit author diffamationis, famamq; læsam reparare ac restituere obligatur superior, qui in subditi crimen, nulla præcedente infamia inquit, cum prius illa per testes, qui sunt homines conscientiosi bonæ vitæ, ac honesti probari debeat, illaq; probata reus citari, audiri, & si factum super quo infamatus est neget; convinci, vel Canonice purgare se debeat. Equidem sæpè contingit, rumorem & famam, qui ab aliquo improbo, & nequam originem traxit, sic paulatim eundo crescere, ut plures etiam conscientiosi, verū esse credant, qui tamen revera non est. Postquam ergo infamia præcedens, per testes qualificados & juratos, qui deponant rumorem talem se ab illis, vel illis, non malevolis, &

famare assuetis, audivisse, & ortum tra-
 xisse, probata fuerit: nequaquam ad
 sententiam, vel punitionem proceden-
 dum, sed reus vel infamatus prius ci-
 tandus, & si neget, convincendus est;
 Uti id ipsum clarissimè deducit in sua
praxi crim. Tamb. q. 12. ibi: constituto de fa-
ma, Iudex inquiret de facti veritate, accer-
sitis pro testibus hominibus, non suspectis,
bonæ vitæ, & conscientiam timentibus &c.
 quæ vide ibi. Sed nec indicia aliqua
 etiam manifesta, potestatem dant Ju-
 dici, ad inquisitionem specialem con-
 tra aliquem, cum indicia sint minoris
 probationis in Judicio, quam duo vel
 tres jurati testes, de crimine sine præ-
 cedente infamia deponentes, & tamen
 illi ut dictum est non sufficiant.

Stat ergo pro certo, neminem non
 citatum, & auditum, condemnari pos-
 se, quantumcumque crimen super quo
 agitur, dicatur notorium.

Dixi supra *vel canonice purgare*

se debeat : si enim contingat, aliquem super aliquo crimine infamari, deficitque accusator, Denunciator, vel actor, & tamen fama tam publica est, ut *nulla tergiversatione celari possit*, liberum superiori, sive Ecclesiastico, aut Episcopo, vel Regulari, Abbati, Priori, &c. erit, indicere purgationem Canonicam. Modus autem in hoc procedendi est, si Clericus vel Religiosus de crimine sit infamatus, superior præfiget terminum accusare volentibus, & si aliquis compareat, auditur Canonice *c. omnibus 2. q. 4. cap. 115. q. 5. c. ex tuarum quia vero. Honor ab Axel hoc tit. num. 9.* si non compareat accusator, liberum est superiori, vel ad inquisitionem procedere, vel sine illa purgationem indicere. Cap. *cum dilectus* & ibi *Panorm. in 1. not. hoc tit. citat. sup. Honor.* & communiter Canonistæ. Cum hac tamen distinctione, quia in-

famatio vel est de delicto successivo, & tunc necessario præmittendæ sunt admonitiones, cum per illas se corrigere, ab alijs actibus suspectis desistere, & sic infamia tolli possit, uti id ipsum clarè exprimit textus hoc tit. cap. 2. *Si quis Presbyter, inquit, negligens vitæ suæ, pravis exemplis, mala de se suspicari permiserit, & populus ab Episcopo iuramento adstrictus, infamiam ejus patefecerit, certiq; accusatores ejus criminis defuerint, admoneatur primo seorsim ab Episcopo, dein sub duobus, vel tribus testibus: & si non emendaverit, Episcopus eum publica increpatione admoneat. Si verò nec sic correxerit, ab officio suspendatur, usq; ad condignam satisfactionem, ne populus fidelium in eo scandalum patiatur. Et eandem formam servandam in Regularibus suadet, & textus Evangelicus. Matth. 18. Regula S. Patris Benedicti cap. 23. si quis frater contumax &c. & ipse textus*

Cano-

Canonis *cap. 3. hoc tit.* vel infamatio, est de delicto momentaneo, quale est homicidium, furtum, Simonia, &c. & in illis superior præmonere non indiget, sed infamatione debitè probata, si crimen ob defectum accusatoris, actoris, vel denunciatoris, probari non possit, purgationem canonicam indicere potest. *Honor. ab Axel. loc. supra cit.*

Consistit autè *purgatio Canonica* in hoc quod de aliquo crimine infamatus, deficientibus facti probationibus, jurat de veritate, ad sancta Dei Evangelia, quod crimen de quo infamatus est, non commiserit, *cap. quoties hoc tit. cap. Presbiter quest. 4.* Purgatores verò seu compurgatores (qui esse honesti, eumquè quem purgant, notum habere debent, *cap. cum Manconella hoc tit.*) jurant de credulitate, super sancta Dei Evangelia, quod credant illum verum jurasse, *d. cap. quoties in fin. cap. constitu-*

tus §. fin. cap. de testib. hoc tit. Numerus purgatorum, olim erat definitus, hodie est arbitrarius Judici, inspecta personæ qualitate, & infamiæ quantitate. *c. quoties, c. cum in iuventute hoc tit. citat. ab Axel. n. 10. & 11.* Effectusq; talis purgationis est, quod reus præstitis talibus à se & compurgatoribus Juramentis à crimine (de quo infamatus est) absolvatur. Deficiens verò in tali purgatione, quod scil. compurgatores jurare nolint, condemnatur & in pœnas declaratur *d. cap. cum P. Manconella.*

Specialiter tamen observandum est, non posse à superiore, ad quamcumq; infamationem, ad quam deficiunt probationes procedi, ad indicendam purgationem canonicam; sed necessario prærequiritur, ut fama ortum habeat ex probabilibus conjecturis, originemq; habeat à viris honestis & conscientiosis, qui de illa jurati testen-

tur, licet factum super quo est infamatio, juridicè probari non possit, *cap. cum in Iuventute, cap. si aliquis Presbiter hoc tit.* Nec potest superior suum subditum infamatum, antequam talis infamatio, per juratos testes, qui sint bonæ famæ & conscientiæ, probata fuerit punire, suspendere, incarcerare vel degradare, cum totum Jus ad indicendam purgationem Canonicam, oriatur ex infamia certa, & debitè ut dictum probata, & sine illa indici nequeat. Quare ex his manifestum evadit, quam horrendo se scelere implicent superiores, qui subditos, propter infamiam nondum debitè probatam, nec ab aliis honestis originem habente, carceri mancipant, eisq; contra Justitiam purgationem indicunt & se purgare volentes non admittunt, sed crudeliter tanquam convictos, in carcere

sine præfixo termino detinent. Verum de hoc infra cum de pœnis injustè condemnantium.

ARTICVLVS V.

An, quot, et quales testes, in Iudicio summario, contra reum produci possint & debeant.

Citatione præmissa, personaliter comparente, & super crimine quod præcessit infamia, examinato reo, si is factum neget, ad probationes, per quas convincatur reus, procedendum est. Optimus autem modus ad manifestationem veritatis, & probationem deveniendi est per testes, quare in illis examinandis, omnem laborem & industriam impendere debet Judex.

Ad convincendū autem reum, dum simpliciter de plano & sine strepitu ac figu-

*ra Iudicij proceditur duo vel tres testes
 sufficiunt, & duo ad minus necessarij,
 & plures repellendi sunt, cap. sepè con-
 tingit ibi. Refrenando multitudinem te-
 stium, nisi fortè tales occurrerent cir-
 cumstantiæ, quod Judex videret se ad
 convincendum reum, per duos testes
 pertingere non posse, quod tamen per
 plures posset. Duos autem ordinariè
 & Regulariter sufficere & requiri cla-
 ret ex jure divino & Canonico. Deu-
 teron. 17. In ore duorum, aut trium testi-
 um, peribit qui interficietur, nemo occide-
 tur, uno contra se ferente testimonium. Et
 cap. 19. Non stabit unus testis contra ali-
 quem, quidquid illud peccati aut facinoris
 fuerit, sed in ore duorum, aut trium testi-
 um, stabit omne verbum. Debentq; testes
 illi esse fide digni, & omni exceptione
 majores. Cap. licet universis, & cap. in
 omni negotio de testibus. cap. cum esse de te-
 stamento & concorditer Canonistæ*

Tamb. in prax. crim. q. 13. n. 2. Ut autem tales duo testes plene probent, requiritur.

Primo. Ut sint jurati, & ut tales deponant, *Nullius testimonio quantumvis Religiosus existat (nisi juratus deposuerit) in prejudicium alterius debet credi c. nuper x. § 1. de testibus cap. fraternitatis tuis eodem tit.*

Secundo. Ut sint contestes, id est, ut de eodem facto deponant, adeoque concordare debent de loco, tempore, specie delicti, aliisque ad factum necessario concurrentibus circumstantiis, patet ex *cap. licet. de probat. & cap. cum dilecti. de accusat.* si vero contingat quod testes conveniant de specie delicti, ut V. G. quod aliquis alterum in sylva gladio occiderit, conveniantque de loco & circumstantiis facti: sed unus dicat se non recordari diei, mensis, vel anni, in tali casu adhuc manebunt contestes.

Cap.

Cap. cum Ioannes de fide instrum. D. Thom.
22. q. 70. art. 2.

Tertio. Quod testentur de visu & auditu proprio, non alieno; *L. testium* hoc tit. officium enim testis proprium est, dicere veritatem de his quæ percipit quinque sensibus corporis, ita ut necessario concludat. *Honor. ab Axel. lib. 2. de test. & attestat.* quia non possunt esse certi de facto externo, nisi per aliquem sensum: ideo si solum deponant, se ab alijs audivisse, non plene probant, sed solum faciunt indicium, ad inquirendum de illis: hinc versus sequentes.

*Audicus, visus, persona, scientia, causa
Fama, locus, tempus ac certum credulitasq;*

Quod si testis deponat super circumstantia, actui, qui probari debet valde appropriata, ut v. g. ad probandū adulterium deponit, se duos conjugatos invenisse cum alterius conjugibus

in

40 CAUTIO JUDICIALIS

in lecto, nudos cum nudis, probat; quia
 est violenta præsumptio, tales carnaliter
 peccasse, *in cap. litteras de præsumpt.*
Tambur. in prax. crim. q. 13. num. 10. 11. 12.
 Secus si testis deponat de circumstan-
 tijs, ad actum qui probari debet proxi-
 mè non concurrentibus, ut si testis di-
 cat se heri manè, vidisse aliquem circa
 locum, ubi aliquis occisus est, accin-
 ctum gladio venientem, nihil probat:
 quia nõ est connexitas occisionis cum
 tali concursu alicujus accincti gladio.
 Aliud esset, si ex loco in quo aliquis oc-
 cisus est, & cum recentibus vulneribus,
 adhuc calidus jacet, alius gladio evagi-
 nato & sanguine consperso, totus tur-
 batus veniat, hoc enim, sicut in casu
 priori violentam præsumptionem ho-
 micidij, & tam in teste quam iudice
 credulitatem ejusdem causaret. *cap.*
Osus de Elect. Panorm. in cap. quoties &
alij quos citat & sequitur Tambur. loc.
cit. n. 12. Quar-

Quarto. Ut sint testes idonei sive omni exceptione majores, quibus de jure nihil opponi possit. Tales autem in criminalibus sunt.

1. Minor 20 annis, qui licet ad condemnandum in criminalibus non admittatur, bene tamen ad capiendam informationem.

2. Testes in Judicio variantes, idque non incontinenti. Dicuntur autem testes varij qui vel contraria deponunt, in eodem examine, sive in diversis: vel primo deponunt per verbum *credo*, postea autem assertive testificantur; vel testimonium quod prius deposuerunt, postea se deposuisse negant, vel in & extra judicium aliter contrariando deponunt. Vid. *Anton. à Spiritu sancto de Regim. Prælat. Regul. tract. 4. Diss. 3. sect. 9.*

3. Repelluntur in causis criminalibus inimici, tam veri, quam cum fundamenta-

damento præsumpti, illius contra quem
testimonium ferunt. *Farin. q. 53. n. 15*
dummodo tamen inimicitia sit gravis quæ
utpotè quia præcessit gravis injuria tur
Idem *q. 12. n. 34. de inquisit. Menoch. de me.
arbit. Iudic. l. 1. q. 28. Tamb. ubi supra n. 15*

4. Consanguinei & affines accusatoris, usq; ad quartum gradum *Farin. de sur.
test. q. 28. Silvester verb. testis q. 2.* Idem ma
dicendum de familiaribus accusatoris
& domesticis, ut sunt fervi, ancillæ,
coloni, conductores, de quibus vide &
Card. tom 7. concl. 202.

5. Infames infamia juris & facti, & cri-
minosi, *Card. ubi sup. concl. 207.* cujus ra-
tionem addit, quia testimonium ferre
est dignitas *cap. præceptum 32. q. 5. An.
char. cons. 4. 15.* adeoq; qui ab accusa-
tione illi etiam à ferendo testimonio
arcentur. *Anch. loc. cit.* Et ex hac causa
repelluntur etiam perjuri, quia infames sunt de jure Canonico. *Card. loc. cit.*

quæcit. *concl. 208.* Et quia præsumuntur faci-
 2.15 lè de novo pejeraturi, & veritatem
 avisquæ per juramentum testium quæri-
 riatur occultaturi. Juxta *reg. iur. in. 6. se-*
b. de mel malus.

2.15 6. A testimonio arcentur socij cri-
 ufa minis, seclusis criminibus exceptis, ut
 2. de sunt maleficium, hæresis, crimen læsæ
 lem majestatis, &c. sicut & illis quæ sine so-
 oris cio committi non possunt. *Card. loc.*
 llæ, cit. *Conclus. 217. Tamb. ubi supra num. 22.*
 ide & alij ab iisdem citati.

cri. 7. In causa criminali à testimonio
 ra. ferendo de jure Canonico, ob sexus ac
 rre ingenij mutabilitatem, repellitur mu-
 An. lier, maximè si causa sit criminaliter
 ufa intentata. *Can. Mulierem 33. q. 5. cap fo-*
 rum de verb. signif. *Card. ibi sup. Conclus.*
 io 196. *Tamb. n. 17.*

ufa 8. In causis criminalibus contra Cle-
 fa. ricanos, & maximè Religiosos, repellun-
 loc. tur Laici, eisdem oppido inimici & in-
 it. fensi: *Can. Clericos & Can. Laici 1. q. 7.*

9. Rejiciuntur homines viles & inopes, si suspicio est illos pecunia corrumpendos, ut falsum deponant, *Silvester verb. testis q. 1. Farin. quest. 56. n. 48*. Si tamē talis suspicio cesset (quod prudentis judicis arbitrio relinquendum est) admitti poterunt. Sunt & plures alij qui à ferendo testimonio repelluntur, quos vide apud *Farin. Card. Abbatem* aliosq; Canonistas. Singulariter tamen hic notandum est, quod licet supra allegati à ferendo testimonio arceantur, si tamen casus talis sit, quod alij testes haberi non possint, prædicti etiam, si non ad plenam probationem, saltem quo ad indicia facienda, & formandam ulteriorem inquisitionem admitti poterunt, unde *Bart. l. fin. ff. de in litem jurand.* asserit quod quotiescumq; privilegiata probatio plenè probat in civilibus, in criminalibus sufficiens Indicium ad torturam faciat, cum ergo testimonio.

monium Laici in civilibus contra Clericum plenè probet *per cap. 3. & cap. tam literis de testibus*, utiq; in criminalibus, indicium ad torturam faciet.

Præter hæc singulariter observandum est, quod aliquando in causa exigui præjudicij, ubi parvum damnum reo infertur, testes alias inidonei admitti possint, si Judex ex occurrentibus circumstantijs, sic prudenter judicet, non tamen si vertatur causa gravis præjudicij, ut si contra Clericum, vel Religiosum agatur ad degradationem, excommunicationem, vel incarcerationem, post se trahentem infamiam, aut alias similes pœnas; illo enim casu judici liberum non est, testes supra nominatos, uti inidoneos admittere, illosq; admittendo, vel ad testium juratorum testimonium Reum condemnando, sententia si quam tulit, nulla est, gravissimamq; injuriam reo, quem
con-

condemnavit infert, & talem sententiam ut injustam & contra jura latam judex cassare, damna illata, & si quantum inussit infamiam reparare, & reum in perfectam libertatem, sub periculo æternæ damnationis asserere obligatur. Ut fileam pœnas talibus iudicibus, gravissima vel ignorantia, vel malitia laborantibus, à sacris Canonibus decretas, de quibus infra in speciali articulo

ARTICVLVS VI.

An et quæ defensiones dilationes, & exceptiones, dum summarie proceditur, concedi debeant, vel denegari possint.

ARticulo primo hujus sect. & ex allegato ibidem cap. sæpè contingit apparet, quod Pontifex præcipiat, quod in processu summario, ubi de plano sine strepitu, & figura iudicij proceditur, iudex

judex litem quantum poterit breviores
facere, exceptiones appellationes & dilatio-
nes frustratorias repellere, Advocatorum
& Procuratorum contentiones & jurgia,
testium superfluum multitudinem, refræ-
nare teneatur, quomodo autem lis bre-
vior fieri valeat, quænam sint excepti-
ones, appellationes frustratoriæ &c. li-
cet aliquas, non omnes tamen deter-
minat. Quare in hoc maxima difficul-
tas est, quam etiam glossa ad dict. cap. ani-
madvertit. Verb. dilatorias hisce forma-
libus: Non dicit, inquit, exceptiones dila-
torias, & appellationes frustratorias, ut
per hoc innueret exceptiones subreptionis,
vel nullitatis contra rescriptum vel recu-
sationis contra judicem, vel dilatoriam so-
lutionis, vel his similes repellendas, sed hoc
intendit, quod omnis exceptio frustratoria,
& ad differendum judicis processum mali-
tiosè opposita, repellatur. Sed quæro quam
exceptionem, vel appellationem per hæc
ver-

verba, non dico per hanc constitutionem
possit talis iudex repellere, quam alter ju-
dex teneatur admittere: hoc vellem doceri

Cum ergo nec Pontifex nec glossa
ipsa, omnia & singula, quæ admitti ve-
repelli possunt determinent, hinc qui
celebriores Canonistæ, de hoc non
deviando à litera & sensu tam textus
quam glossæ sentiant, paucis disqui-
rendum est.

Et quidem juxta textum & glossam
iudex dum sine strepitu & figura sim-
pliciter, & de plano proceditur.

1. Libellum non exigit.
2. Litis contestationem non postulat.
3. Ferias ob necessitates hominum, ut
sunt vindemiæ, & messis, non at-
tendit.
4. Dilationum materiam amputat.
5. Litem facit brevior, exceptio-
nes appellationes dilatorias &
frustratorias repellendo.

6. Par-

6. Partium Advocatorum & Procuratorum, contentiones & Jurgia, nec non &

7. Testium multitudinē refrænando.

Quæ tamen omnia Pontifex sic vult fieri, ut tamen probationes necessariæ & defensiones legitimæ admittantur.

Ad quod *glossa*. *Nihil igitur talis iudex omittit, per quod impediatur vel occultetur cognitio veritatis.* Et eadem *glossa ad verb. valeat.* Propter quod honestum puto, quod si iudex sic datus viderit graviter ladi partem ex processu tali tempore fiendo supersedeat: habet enim iudex providere utilitati causæ partium.

Igitur potest Iudex vigore hujus Canonis, facta citatione partis, quæ ut supra ostensum, cum sit Juris naturalis, *Card. tom. 7. concl. 890. num. 32.* nunquam omittenda est.

i. Partes in sua Camera privatim secluso Procuratore & Advocato, non

D

le-

sedens pro tribunali audire, partes etiam Judicem ad aurem informare possunt, quod alias illicitum est.

2. Repellit exceptionem, qua pars petit cautionem in casum succumbentiae pro expensis, maximè si illam proponi videat, ad protelandam causam.

3. Non dat dilationem ad perquirendum advocatum, cum advocatus sit de strepitu Judiciorum. *Bart. in Extrav. ad reprimen. verb. plano Card. loc. cit. num. 26.*

4. Si non sit in re gravi, præjudicium grave inferens, Advocatos & Procuratores, ob causam jam dictam repellit.

5. Pro tribus citationibus, unam peremptoriam decernit.

6. Dilationes alias à lege permixtas & præscriptas abbreviat, quia sunt de strepitu & figura judicij, non tamen ita, quin pars sua probari possit; quia alias
fen-

sententia esset nulla, utpote sine causæ cognitione, sufficit tamen probatio, quæ est de jure gentium.

7. Valet sententia non conformis libello, si unum est petitum, alterum probatum, potest ferri sententia super probato.

8. Testes examinari possunt post publicata testimonia, etiam in qualibet parte Judicij, sicut & interrogatoria, in qualibet parte Judicij formari & proponi.

9. Respondere tenetur & cogitur pars interrogatorijs, post conclusum in causa.

10. Valet appellatio viva voce, etiam Judice non sedente pro tribunali, etiam non statim, sed ex intervallo extra Judicium facta.

11. Valet appellatio ab interlocutoria, sine scripto facta, & alia quæ vide apud *Card. Tusch. speculat. Bald. & alios.*

Supereft jam videre, quid Reo pro
fuis defenfionibus, à Judice in summa-
rio processu concedi debeat. Et quidē

Primo obligantur Judices, in crimi-
na subditorum inquirentes, inquisitis
tradere copiam articulorum, de qui-
bus agitur, idq; ut reus se tueri possit,
quomodo autem se defendet, si non
detur illi copia articulorum & eorum,
quæ contra illum aguntur? Et quomo-
do sine illis disquiret arma, ad argu-
menta adversarij retundenda, sibi ne-
cessaria, si nesciat quibus armis alius
ipsum aggreditur? *Tamb. in prax. crim.
quest. 3. n. 21.*

Secundo, tenetur testes secreto in-
terrogare, & ab eis prævia sufficienti &
seria avifatione, de vitando perjurio,
juramentum de veritate dicenda exi-
gere, cum id ipsum teste *Bart. in Extrav.
ad repriment.* sit de jure naturali. Si
tamen talia juramenta tacite emittan-
tur,

tur, non vitiatur processus, alias legitime factus, in iudicio summario: omitti autem absolute non possunt sine vitio nullitatis. *Idem loc. cit. n. 23.*

Tertio, obligatur superior secularis Ecclesiasticus, sive regularis, etiam si *de plano sine strepitu & figura iudicij* procedat, non solum depositiones & dicta testium, sed & eorundem testium nomina inquisitis tradere, ut videatur an sint omni exceptione maiores ac tales, qui admitti possint, & quorum testimonium etiam juratum falsitatis præsumptione non laboret, uti est in perjuris & his similibus. Et talis nominum publicatio ea de causa requiritur, ne infamandi præbeatur audacia. Quid enim non tentarent homines, absq; hoc exitio naturæ ad diffamandum proclives, si scirent suis verbis quasi Evangelio credi, & se non prodi? Igitur quantumcunq; processus sit summarius, in-

quisito nihilominus nomina testium, cum eorū depositionibus comunicari debent. *Glossa in cap. olim de accus. verb. copiam. Ubi etiam Panorm. n. 7. Tambur. in prax. crim. loc. cit. n. 24.*

Dixi supra quarto, *Si non sit in re gravi &c. Advocatos Procuratores repellit.* Neq; enim credo benefacturum Judicem vel superiorem, si privat reum contra quem agitur ad pœnam capitis, confiscationem omnium bonorū, fustigationem, vel exilium: & in Ecclesiasticis vel Regularibus ad degradationem perpetuam, vel plusquam unius anni incarcerationem, beneficij privationem, aliasque similes graves pœnas; si inquam reo recuset dare Advocatum, qui se defendat & à tam gravibus periculis liberare conetur. Esset enim eidem defensionis (de jure naturali cuilibet debitæ) arma pro injuriarum & gravissimorum damnorum, ac
peri.

periculorum evitacione, violenter auferre. Vid. *Card. tom. 7. concl. 891.* per totum aliosq; ab eodem citatos.

A R T I C V L V S VII.

*An Vigore summarij processus
sententia contra absentem ferri
possit &c.*

Citationem Rei ad Judicium, esse juris divini & naturalis, adeoque nunquã sine vitio nullitatis, quantumcunq; causa sit, vel dicatur notoria, omitti posse, articulo quinto, ex sacris litteris Canonibus & Canonistis, satis superq; remonstratum est. Unde ex ibidem dictis, quæstio hæc facillimè expediri posset, cum generaliter ibidẽ decisum sit, neminem sub quocumq; etiam prætextu notorietatis, nisi citatum, & prævie auditum, condemnari posse. Sed quid si reus citatus, suffici-

enter auditus, defensiones exceptionesq; necessariae concessae, & ex hinc inde productis condemnandus videatur, an saltem in tali casu in non citatum ad audiendum publicari, sententia ferri possit? & respondendum est, quod vel sententia fertur contra absentem, legitimo impedimento detentum, quod impedimentum iudicium est, & sententia talis est ipso jure nulla, *l. questum ff. de re judic. Gemin. cons. 144. n. 2. in fin. & num. 3. ver. pro responsione. Alexand. cons. 84. in causa qua vertitur num. 5. lib. 3. Card. tom. 7. concl. 144. additq; Gemin. Consil. 145. in fin. hoc esse verum imo verissimum.* Vel ferenda est sententia contra aliquem nullo impedimento detentum, nec dubium est, quin talis specificè citari debeat, & quidem exprimendo ad audiendam sententiam, etiamsi in processu, & exactis omnia sic deducta sint, ut de justitia

tia ferendæ sententiæ sit omnimoda
 certitudo, *Card. tom. 1. conclus. 269.* de-
 betq; citatio esse peremptoria de jure
 communi: etsi omittatur, etiam in pro-
 cessu summario, quando proceditur
simpliciter de plano sine strepitu & figura
judicij. Idem ibid. num. 4. & 11. citatio in-
 quiens ad sententiam necessaria est, etiam
si pars interfuerit toti processui & discus-
sioni totius cause. Sed his diu immoran-
 dum non est, cum tam ex superiori-
 bus, quam Canonistis & legistis res cla-
 ra & indubitata sit, apud quos etiam vi-
 dere est, quomodo contra absentem
 debite citatum & contumacem proce-
 di debeat, cum his diu immorari non
 sit præsentis propositi.

Sectionis Summarium.

EX omnibus igitur hac sectione de-
 ductis claret, Judicem quis cumq;

tandem ille sive Ecclesiasticus, sive re-

D 5

regularis

gularis fuerit, dum contra subditum *summariè, de plano & sine strepitu & figura Iudicij* procedit, sub gravi peccato ex Justitia obligari.

Primo adhibere Notarium ad causam, qui omnia diligenter & ita annotet, ut fidem in Iudicio facere possit, idq; tanto amplius, si periculum appellationis, vel supplicationis ad alium superiorem subsit, quatenus acta primæ instantiæ dum requiritur, edere & Iudex ad quem, an justè processum sit, & an appellationi deferri debeat, videre possit. Cum enim appellatio sit species defensionis, de jure naturali competentis, quomodo poterit injuste gravatus, tali defensionis remedio uti, si non possit habere prothocollum à Notario servatum, ex quo injustitiæ à Iudice prioris instantiæ, contra se commissæ, demonstrantur? Nunquid prioris instantiæ vel ex officio, vel ex commissione Iudici, asserenti, se privata scientia

noscere, quod appellans vel ad superiorem supplicans, criminis, de quo agitur, sit reus, & impænitens, si illud per prothocollum Notarij, quod in Judici-
 cio fidem facere possit probare nequeat, credendum erit? Contrarium certe tenet *Panormit. ad cap. Si Sacerdos X.2. de judic.* Ubi ait *Prælatum non debere nominatim arguere subditum de aliquo delicto, nisi possit illud delictum plene probari. Non creditur etiam superiori, si dicat aliquem esse reum criminis.* Fundatq; dictū suum in Concil. Africano & est in 6. q. 2. *Placuit, inquit, ut si aliquando Episcopus dicit aliquem sibi soli proprium crimen confessum fuisse, atq; ille neget, non putet ad injuriam suam Episcopus pertinere, quod illi non creditur. Et si scrupulo propria conscientia se dicit neganti nolle communicare; quamdiu excommunicato non communicaverit suus Episcopus, eidem Episcopo ab alijs non communicetur Episcopis, ut*

magis caveat Episcopus, ne dicat in quemquam quod alijs documentis probare non posset. Et clarius gloss. ad d. c.

Quidam, ait, confessus est suum delictum, soli Episcopo velut homini: postea cum suum delictum corrigere nollet, Episcopus excommunicavit illum, nec ei communicare volebat. Ille conquestus est in Africano Concilio: Episcopus replicabat, quod ille fuerat sibi confessus crimen, sed non poterat testibus probare: Quasitum est, quid super hoc faciendum, & responsum est in concilio Carthaginensi, quod Episcopus ex quo non potest crimen probare non doleat, si ei non credatur, & quamdiu non vult communicare illi in publico, tamdiu non communicetur sibi, ac alijs Episcopis. Gravis ergo error, sed & injustitia, tam in iudice a quo id asserenti, & sibi quantumcumque etiam religiosus & sanctus sit, credi volenti, quam iudici ad quem, tali asserito acquiescenti, & secundum illud iudicanti

canti & condemnanti. Certè uterq; talis Judex, etiamsi forte quoad substantiam justè judicaret, nihilominus gravissimam injustitiam committeret, & damna per eum reo vel quasi illata, sub gravissima obligatione reparare teneatur, utpote qui per talem procedendi modū, transgressus sit leges humanas & divinas, in conscientia & graviter obligantes. Nec solum sed & reo vel quasi, actio injuriarum contra talem judicem indubitatè competeret, ita ut si ea quæ allegat, probare non possit, præter alias obligationes insuper calumniari censendus est. Qui enim alteri crimen imponit, quod nec literis nec testibus probare potest, calumniatoris se nominis & obligationis reum facit. *Card. tom. 1. de calum. conclus. 9. num. 9. 10. 11. & 12.*

Quamvis ergo non obligetur actor, vel accusator, in *Judicio summario* in

scriptis libellare, possitq; etiam Judicem ad aurem informare, ea tamen quæ libelli loco oretenus proponit, necessario ad prothocollum, & acta redigi per Notarium debent, ita ut vel ipse ea prius audierit, vel à judice auditâ, & à se scripta libellanti prælege-rit, & is ea approbaverit, ne falsitatis notam incurrat, pro vero scribens & asserens, cujus notitiam non habet.

Secundo tenetur tradere reo copiam quærelæ, & articulorum contra se propositorum, ut se defendere, & contra se proposita elidere possit.

Tertio testes omni exceptione majores, contra quos de jure nihil objici potest, jurato audire, nec non.

Quarto depositiones & dicta testium, nec non eorundem nomina communicare, eaq; omnia quæ supra relata sunt tanto accuratius observare, quanto causa, quæ ventilatur est majoris momen-

momenti & gravioris præjudicij illativa, de quibus in sequentibus adhuc occurret sermo.

Archidiaconi proin alijsq; iudices Ecclesiastici si *summariè de plano ac sine strepitu & figura judicij* procedere velint; facile longa litis sufflamina, jurgiaq; Promotorum, Procuratorum, & Advocatorum, amputare possunt, si nempe exhibito sibi in Matrimoniali, aliaq; causa, libello supplici, actorum sive supplicantem, coram ipsi audiant, & quo in causa sua fundamento nitatur intelligant: an quæ proposuit probare possit, & quomodo, an per documenta literaria, an per testes & quales illi sint, citenturq; Actor reus & testes ad certum diem, & successivè seclusis Advocatis & Procuratoribus audiantur, & tentata prius inter partes concordia, illa non succedente, procedatur ad probationes, sive illæ fiant per
testes,

testes, siue alia via. Prudens interim ju-
 dex, facile exquirere & invenire pote-
 rit, an testes sint vel non sint admissibi-
 les, & secundum hunc modum brevi
 temporis spatio causæ, quæ ad ordina-
 rium iudicium deductæ, immortales
 lites causarent, expedire poterunt,
 parciq; innumeris sumptibus & expen-
 sis quibus miseri homines sic enervan-
 tur, ut iustissimas etiam causas desere-
 re, nec ob defectum mediorem prose-
 qui valeant. Mentior si non sim exper-
 tus plures causas matrimoniales, quæ
 per probationes clarissimas facile dua-
 bus tribusvè horis expediri potuissent,
 ad tres & ultra annos eo usq; protela-
 tas, donec partes exhaustis crumenis,
 litem deserere, & inter se pacisci coge-
 rentur. Quomodo enim aliquis spon-
 sus vel sponsa cuius tota hæreditas, vel
 dos est 20 vel 30 imperialium, si (quod
 sæpè contingit) discordes fiant, & ob
 dicte-

dictoria hominum, quæ in causis sponsaliorum & matrimonialium, antequam sacerdotali benedictione firmentur, raro abesse solent, invicem in judicio conveniant, expensas litis ultra duos vel tres annos pendentis solvere valeant, ubi singulis diætis crumenæ tam à parte Actoris quam Rei debent esse apertæ, ad solvendum jura Advocatis, Procuratoribus, Judici, Notario &c. Quibus accedit, quod si litigantes procul à loco judicij distent, eo singulis diætis proficisci, labores unde victum & amictum acquirunt intermittere, & interim non sine gravibus expensis, itinera perficere, & se sustentare debeant. Et hæc quomodo continuare poterunt, quorum tota substantia sæpius vix ad 20, 30 vel 50 imperiales se extendit? Proinde Archidiaconus, & quisunque alius Ecclesiasticus judex, si seclusis Advocatis, Procuratoribus
(sicuti

(sicuti in causis quæ *summarie de plano sine strepitu & figura judicij* decidi possunt, de jure licitum est) partes audiat, & si possit vel amicabili transactione concordet, vel si id non succedat, non attentis judiciorum formalitatibus, quod justum est decidat. Quod si in principio Advocatos, vel Procuratores cum partibus admittat illi eundem sic implicabunt, ut etiamsi postea telam judicariam præcidere velit, non possit; sed cursum judicij ordinarium, etiam in causis summarijs, relinquere debeat. Oderunt hunc procedendi modum iudices, qui non Deum & justitiam, sed sua emolumenta quærunt, eò quòd per eundem innumeris expensis obex ponatur, & non sit pro acquirendis nummis, quo unicè eorum intentio collimat: hinc illorum adagium: *Præcipiantia est noverca justitia,* cum sæpius major injustitia fiat partibus,

bus, per judiciariam telam & longum
litis sufflumen, quam si statim etiam
cum aliquali illorum damno expedi-
rentur. Quid enim prodest alicui, à suo
adversario prætendenti viginti impe-
riales, si ut illos accipiat, ad aliquos an-
nos disputare & litigare, & ultra cente-
nos imperiales judici Advocato Pro-
curatoribus, Notario pro sententijs in-
terlocutorijs & definitiva pro protho-
collis &c. exponere debeat, & tandem
litem tædio expensarum vel deserat,
vel favorabilem sententiam accipiat,
& interim talis expensarum modera-
tio fiat, ut altero vel tertio plus amittat,
quam per sententiam accipiat. Et hæc
similiaq; exemplis pluribus (si odiosæ
non essent) exemplificare possem. Nun-
quid non hic verificari posset, quod
vulgo circumferunt? *Summum jus sum-
ma injuria?* Et certè si multitudinem
judiciorum in qualibet patriæ, & ditio-

ne

ne existentium, Advocatorum, litium
 & damna, quæ eas consequuntur at-
 tendamus, fatebimur verum dixisse
 qui asseruit, plus patrias emungi per li-
 tes & processus, quam per contributio-
 nes, quas Principibus pro publicis ne-
 cessitatibus, ejusq; sustentatione sub-
 diti exponere debent. Hoc præsertim
 luxuriantium ingeniorum fœcundo
 seculo, in quo vix ulla est tam absurda
 sententia, quæ suos patronos & defen-
 sores non habeat, & quidlibet in utrâq;
 partem defendi & ventilari potest.

Specialiter autem Archidiaconi ad-
 vigilare debent, ut si per seipfos causas
 dijudicare nolint, vel ob alia negotia
 non possint, saltem tales commissarios
 habeant, in quibus est timor Domini,
 & verus Justitiæ zelus, qui ad promo-
 torum actiones diligenter attendant,
 nec per illos miseros subditos vexari &
 emungi permittant, seclusis illis partes
 læpi-

ſæpius audiendo, & quod juſtum eſt decidendo. *Quanta enim mala faciant iſti ſcelerati exploratores criminum, quos promotores appellant, poſt editũ ſpeculum meum Archidiaconale (in quo hæc verba Gerſonis Cancellarij Pariſienſis ad longum citaveram) prius cognovi & expertus ſum. Illi enim ſi principales ſuos vel egentes, vel abſq; hoc inordinato nummorum affectu præoccupatos eſſe ſciant; nihil non moliantur, ut per fas & nefas, ſubditos mulctandi, & nummos coacervandi occaſiones quærant, & nulla ſervata proportione exceſſivè puniri urgent, principalium ſuorum emolumentum quærentes, & ſuum intereſſe nequaquam negligentes. Exempla, niſi odioſa eſſent, plurima recensere poſſem.*

Ne ergo hæc & ſimilia fiant, Archidiaconis ſerio invigilandum eſt, ut obicem ponant, ne peccatis alienis ſe impli-

plicent & oppressionis iniquæ subditorum rei fiant. Eadem enim quæ Principum, etiam respectivè est obligatio aliorum, curam animarum gerentium, respectu subditorum & ministrorum subordinatorum, pro administratione justitiæ constitutorum. Quod periculum *S. Chrysothom. Homil. 34. in Epist. ad Hebr.* satis advertit, cum pronuntiare non est veritus; *Miror an fieri possit, ut ex Rectoribus quisquam sit salvus. Princeps enim, ut ait, Sausber. lib. 4. polycrat. cap. 12. idem est de alijs superioribus & Rectoribus, tenetur de omnibus, & omnium author esse videtur, quia cum omnia possit corrigere, eorum merito particeps est, quæ noluit emendare. Cum enim potestas publica sit, omnium vires exhaurit, & ne in se deficiat, incolumitatem omnium debet procurare membrorum. Quot autem in administratione Principatus sunt officia, tot sunt principa-*

lis

di- *lis corporis quasi membra. Dum autem*
 in- *singulorum officia, in integritate virtutis*
 tio *& suavitate operationis conservat, quan-*
 m, *dam quasi membris sanitatem procurat:*
 am *cum vero ex negligentia, aut dissimulatio-*
 ne *ne potestatis, circa officia sit virtutis, aut*
 ri- *famæ dispendium, quasi in membra ejus*
 in *incurrunt morbi & macule, nec diu sub-*
 o- *sistit incolumitas capitis, ubi languor*
 eri *membrorum invalescit. Quibus con-*
 al- *formiter Isocrates apud Strobeum serm.*
 .4. *44. Imperium generis, ait, nullius improbi*
 o- *opera ad gubernandum utitor, illius enim*
 us, *delictorum cause, in te referentur. Nimi-*
 um *rum quia Princeps tenetur de omnibus &*
 ar- *omnium author esse videtur. Cujus ex-*
 um *emplum exhibet cap. 25. lib. Num. ubi*
 res *Deus populo peccante, jussit cunctos*
 ta- *Principes populi, suspendi contra so-*
 ro- *lem in patibulis. Ad quod S. Petrus Da-*
 ne *miani lib. 4. Epist. 15. Quid est, ait, quod*
 pa- *populus in luxuria voraginem labitur, &*
 bis *in*

in eorum Præpositos vindicatur? Subditi delinquunt, & Principes in patibulis suspenduntur? Scilicet alius est, qui peccat, alius qui vapulat. Cur hæc? nisi quia culpa subditorum, in Præpositorum redundat opprobrium. & quod ab omnibus erratur negligentia Pastorum adscribitur. Et vide hinc, quam periculosus sit status Præsidentium, ut non modo pro suis sed & pro subditorum puniantur offensis. Quare lib. 7. Ep. 11. monet Principes & superiores ne subditorum peccata palpent vel dissimulent. Non ad hoc inquit præcingeris gladio, ut violentorum mala debeas palpare, vel ungere, sed ut studeas vibrati mucronis ictibus obtruncare. Eneruato quippe rigore justitiæ, status eneruatur disciplina, & dum ultoriæ severitatis censura reprimitur, temeraria delinquendi licentia relaxatur. Et paulò post, Inordinata semper pietas Principis, quid est aliud, quam confusio plebis? Nam dum ille à

mode-

moderanda regiminis habena reprimatur, subjecti quique velut effrenes equi per abrupta raptantur, agere nimirum licet omne, quod libet.

SECTIO SECUNDA.

De Judicio Summario Regularium.

Cum à majori parte sumatur denominatio, hinc Sectionem hanc intitulavi de judicio sumario regularium; quamvis ea quæ correctionem & reformationem morum & appellationem ab iisdem concernunt, æqualiter tam Clericis, quam regularibus, applicari possint uti singula discutienti, manifestum evadet.

A R T I C V L V S I.

An causa Regularium, simpliciter, de plano, sine strepitu & figura judicij, decidenda sint.

CAusas Regularium inter illas esse, quæ summarie de plano sine strepitu & figura judicij expediri debeant, di-

E

ctura

Etum est supra art. 3. § 5. exiguntq; harum decisiones tanto accuratius examen & discussionem, quo certius est, superiores Ecclesiasticos (nisi ipsimet ut ordinarie fieri solet, styli judicarij scientiam & praxin habeant) in suis judicijs etiam *summarijs*, non procedere, nisi adhibitis viris, jurium, processuumq; Judicialium gnaris. Superiores verò Regularium, maximè illi, qui perpetui & inamovibiles sunt, ut plurimum non nisi studio & resolutioni casuum conscientia, amplificandæ rei domesticæ, exstructioni novorum & amplorum ædificiorum, &c. raro autem nobilissimæ sacrorum Canonum scientia se applicare, & nihilominus in occurrentibus, suorum Regulariũ subditorũ, etiam criminalibus causis, nullo adhibito processu judicarij *summarij* gnaro, se solis causas examinare, & non attentis ad substantiam judicij requi-

quisitis, sentētiare soleant. Ex quo gravissimas injustitias legis naturalis & divinæ transgressiones, nec non irreparabilia subditorum corporis famæ, honoris, imo æternæ salutis pericula non emergere moraliter impossibile est, uti experimento didicimus & adhuc quotidie prò dolor discimus. Quibus præcavendis hæc sectio priori quo ad argumentum omnimodo consentanea, utiliter & necessariò subjungenda fuit, ut qui ob curam temporalium defendendorum Monasterij jurium &c. totaliter & ita impliciti sunt, ut jus Canonicum, Abbatem, Fagnan. Tamburin. de jure Abbatum aliosq; Canonistas legendi vix tempus habeant, in exiguâ hæc sectio, quod in illis fusè deductum est, legere & obligationem ac pericula sua videre valeant.

Et quidem in causis Regularium statum Religiosum & disciplinam Regularem

larem concernentibus, *summariè sine strepitu & figurâ judicij*, procedendum esse claret. ex diversis SS. Canonum decretis & ordinationibus, quæ paucis hic recensleo.

Præcipuus ad hoc textus est in cap. olim X. 26. de accusat. V. G. Pontifex. N. igitur, inquit, *Reformatio Monasterij valeat retardari? Mandamus, quatenus, relaxatis excommunicationum, seu suspensionum sententijs, si quas idem Abbas protulerit, vel per quoscumque judices promulgari fecit, post inceptum negotium in eos, & adherentes eisdem, ac restitutis quos idem Abbas negotio ipso pendente contra justitiam spoliavit, in negotio de plano & absque judiciorum strepitu procedentes (cum talibus maximè in hoc casu non deceat Dei servos involvi) inquiratis, quæ circa personas & observantias regulares videritis inquirenda: corrigentes & reformatantes, tam in capite, quàm in membris,*

que

que correctionis & reformationis officio videritis indigere, juramentis, si qua de tacenda veritate Abbas extorserat, relaxatis, proviso ut negotio ipso pendente prefati Mōachi eidem Abbati obediant & intendant, ita tamen ut per hoc negotium non valeant impediri. Si verò testes contra eundem Abbatem, producti fuerint, dictorum ipsorum copiam ei dari faciatis predictis autem Monachis expensas, factas faciatis ex bonis ejusdem Monasterij &c. Ministrari.

In quo contextu Pontifex Mandat.
 1. cassari excommunicationes, suspensiones & spoliationes lite pendente ab Abbate latis & factas. 2. de plano & sine judiciorum strepitu in correctionibus & reformationibus procedi, causam addens, quod non deceat servos Dei similibus involvi. 3. cassat & annullat juramenta de tacenda veritate extorta. 4. Monachos lite pendente debere nihilominus Abbati quo ad alia

obedire. 5. Expensas litis Monachis de bonis Monasterij debere ministrari conformiter ad cap. 11. x. de recusat. ubi Pontifex decernit, quod *Monachi* et quod de obedientia & subjectione esse nescuntur, ab ejus accusatione nullatenus sint repellendi. Quibus cum proprium non habeant, ex pensa debent necessariae, donec causa debitum finem accipiat, ministrari Vigore quarum Prælati & superiores Regularis obligatur, Religioso contra se causam habenti, suppeditare necessarias expensas, quas si deneget, privatum eum defensione de jure naturali competente, estque justitiæ oppressor, si eadem de causa litem perdat, inquâ aliàs de justitiâ contra se triumphare potuisset, gravius peccat, proprietatis vitio involvitur & dilapidator substantiæ Monasterij est, si ut in causâ aliàs injustâ triumphet, pecuniâ corrumpit Advocatos, Judices, Commissarios aut consultores,

res,

res, cum bonorum Monasterij non sit Dominus sed solum administrator, & salvis votis essentialibus dispensator, à proprietatis vitio, tam parum, quàm Monachi immunis.

Secundus Textus est x. in cap. qualiter & quando 24. de accusat. ubi postquam Pontifex in concilio generali præscripsisset formam in iudicio contra subditum maximè Prælatum observandam tandem concludit. *Hunc tamen ordinem circa Regulares personas non credimus usquequaq; servandum, ubi bene notandum verbum usquequaq;, quod innuitur ordinem iudiciarium ibidem præscriptum, non esse per omnia observandum, non omitti tamen posse ut hic ait Fagnan. quæ ad veritatis manifestationem sunt necessaria, & quæ sunt juris divini & naturalis, ut priori sectione remonstratum est.*

E 4

Ter-

Tertius. *c. Eaque* x. 8. *de stat. Monach.* ubi Pontifex Abbatem non exemptum, qui à visitatoribus nimis negligens remissus & dilapidator substantiæ Monasterij inventus fuit, aut aliàs merito amovendus jubet à *Dioecesano* *ne judiciorum strepitu* à regimine amoveri.

Ad idem argumentum serviunt textus in quibus inhibetur à correctionibus & morum reformationibus appellatio; uti est in *cap. Irrefragabili* x. 13. *de offic. ordinarij c. ad nostram* 3. *de appellat.* de quibus infra, ubi an Regularibus à judicio sui Prælati appellare liceat, agitur; Sed quæstio hic exoritur an scilicet omnes causæ regularium summarie & sine strepitu & figura judicij decidi debeant, & si non omnes quænam inter illas sit differentia, sit proinde.

ARTICVLVS. II.

An omnes et quænam Regularium causa sine strepitu Iudicij decidi possint.

CAusam summarie decidere, est eodem ac quo ad substantialia Iudicij ordinem servare, secluis solum formalitatibus substantiam non concernentibus, adeoque necessario aliquis hic est ordo judicialis, quem an in omnibus causis etiam Regularibus, superior observare debeat, quæstio est.

Sunt autem causæ Negotia, & delicta Regularium juxta *Tamb. in Prax. crim. Abb. quæst. 3.* in duplici differentia scilicet levia & gravia.

Levia delicta sunt. Tardior accursus ad chorum, Error sub divinis intercantandum commissus, violatio silentij locis & temporibus interdictis. Po-

Es

tus

tus vel cibi sumptio extra Mensam & Monasterium, sine Prælati expressâ vel interpretativâ licentiâ. Levis inter fratres contentio vel murmuratio, quæ à superioribus quotidianis pœnitentijs corriguntur. Gravia verò sunt, contra leges divinas, & contra essentialia Regulæ, uti trium votorum essentialium violatio, in Prælatum conspiratio, Prælati vel alicujus alterius, in sacris constituti percussio, literarum Prælati vel alterius superioris falsificatio, furtiva per noctem è Monasterio egressio, aut habitus Religiosi sine causâ depositio. Ita Card. Turrecrem. in exposit. Regulæ S. Benedicti cap. 4. Card. de Lugo de jure & justitia, Diss. 37. sect. 4. num. 163. culpas Religiosorum dividit in tres classes leves graves, & gravissimas. Leves dicit esse imperfectiones contra Regulam, vel ad summum peccatum veniale. Graves quæ

con-

continent peccatum mortale, ut V. G. furtum, detractio gravis, lapsus carnis cum complice. Gravissimæ quibus in jure correspondent graves poenæ, v. g. carcer perpetuus vel diuturnus, damnatio ad tritemes, uti sunt homicidium, mutilatio, percussio enormis, perjurium &c. coincidunt autem in hoc & Tamb. & Card. de Lugo quod prior. graves & gravissimas sub uno comprehendat, licet quo ad gravitatem excessum poenarumq; inflictionem aliqua sit inter eas, non tamen substantialis differentia.

Quibus necessariò præsuppositis ad quæsitum resp. Prælatum Regularem in puniendis levibus subditorum excessibus, non teneri ad servandum ordinem juris etiam summarium, sine strepitu judicij, sed posse procedere sola rei veritate inspectâ. Esset enim totius Regularis vite & disciplinæ ever-

fio, & irreparabile detrimentū, si in similibus excessibus dijudicandis deberent superiores adhibere Notarium, servare protocolla, formare processum, testes examinare, juramenta excipere, defensiones concedere, & alia hujusmodi observare, ita *D. Thom. Bonacin. Soto Roderic.* quos citat & sequitur supracit. *Tamb. num. 4. q. 3.* accedit quod prudentes Prælati, ex ratione officij sui obligentur suorum Religiosorum maximè Novitiorum & juniorum inclinationes & passiones investigare & illis eradicandis & extirpandis tempestivè invigilare, ne sibi alijsque sibi subjectis gravia aliquando pericula, inquietudines, & molestias creent. *puer enim, ut ait S. Bonav. in speculo discipl. ad novitios qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam Religionem.* Satisque absq; hoc clarum fit, Regulares in introitu Religionis, ad similes observan-

servan-

servantias & excessuum punitiones, quas per probationis annos sat clarè vident, se obligare, & juri, si quod in contrarium haberent, renunciare, nec possit vigor & rigor disciplinae, sine tali puniendi modo subsistere, nec is grave præjudiciũ post se trahat. Ad gravia vel gravissima crimina quod attinet, illa vel sunt publica vel notoria, ut nulla tergiversatione celari possint. *Panorm. in cap. ex litteris num. 2. de jurejurand. Tamb. Julius Clarus lib. 5. §. fin. quest. 9. in princ.* probatãque tali notorietate per duos testes juratos ut supra dictum est, superior reum citat, per testes juratos convincit & punit, vel si cõvincere nequeat, purgationem canonicam imponit. In illoq; casu liberum est Prælato & superiori procedere, vel servato toto ordine judiciario, omnibusque apicibus juris, id enim in citat. *sup. cap. qualiter & quando non vetatur sed tan-*

tum dicitur *non credimus hunc ordinem in personis Regularibus usquequaque observandum* vel potest procedere sine strepitu & figurâ judicij, servatis tantum supra allegatis substantialibus, qui modus statui Religioso magis accomodatus est, cum prior non sine Advocatorum & Procuratorum strepitu, magnisq; à Monasterio solvendis expensis, vix servari possit. Crederem tamen Prælatum qui suorum potius Pater, quàm Judex est, in causa gravis præjudicij, ubi agitur ad incarcerationem infamiam aliasq; similes pœnas optimè facturum, & aliquando obligari, ut omni possibili modo suo subdito, quem videt ex ingenio aut sciëntiâ, pro suâ defensione non esse capacem, suppeditet Advocatum vel Procuratorem qui intra septa Monasterij eum defendat servatis nihilominus. Puris judicij substantialibus & processu summario in
hoc

hoc casu memor illius primi principij naturalis: *Quod tibi vis fieri, alteri feceris, & quod tibi non vis fieri, alteri non feceris. Et quaecumq; vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Sicut ergo Superiores si in similibus casibus invaderentur, nihil non essent omissuri pro sua defensione, nec ullis sumptibus in assumptione Advocatorum, Procuratorum, obligatione judicum parcituri, etiamsi id cum summo Monasterij sui damno fieret; sic idem quoque subditis justum esse debet, cum tam affligat vermiculum, si prematur, quàm elephantem. *De similibus enim ad similia fit extensio ex identitate seu pariterationis; ut inquit Garzias s. part. cap. 7. num. 65. Quo enim jure quis utitur ergo alium, contentus esse debet, si alius quoq; erga ipsum utatur. Quod si gravia crimina & culpæ de quibus contra Regularem agitur, sint occulta, non debent*

bent

bent publicè puniri, nec per viam judicij etiam summarij procedi, cum de occultis non judicet Ecclesia, sed solus Deus occultorum Judex & vindex sit. Claret ex supradictis de notorio *Card. de Lugo loc. supra cit. num. 165. unde citatus à Card. de Lugo de jure & justit. disp. 37. sect. 7. Fagundez acerrimè invenitur in superiores & Prælatos, qui in causis gravioribus, quæ peccatū mortale concernunt, & ex quibus infamia delinquentis sequitur, procedunt absq; accusatore dicens, eos mortaliter peccare, & nullum ex Prælati Doctores, & Deum timentibus id facere, sed eos qui Deum spernunt, & jus, & ut malevolentia sua satisfaciant & ignorantia potius quàm bono communi Religionis, quia tunc solum possunt tanquam partes delinquentes secretò corrigere absq; infamia illorum.*

Debet proinde Superior vel Prælati Regularis in gravibus suorum subdito-

ditorum criminibus, procedere & servare ordinem juris, & stylum judiciarium, vel procedere sine strepitu & figura judicij, servatis quæ in illo juxta dicta, sectione præcedenti necessario servari debent. Unde *Card. de Lugo disp. sup. cit. sect. 14. num. 168. advertendum* ait est primo, ad omnes actus juridicos requiri presentiam Notarij seu Secretarij, ut fidem facere possit in judicio, qui Secretarius ab ipso Prælate ex suis subditis eligi & constitui potest ex consuetudine, & in omnibus prædictis actibus subscribere debet.

ARTICVLVS III.

Quis in Judicio Regularium Judex Ordinarius.

ARticulo præcedenti dictum est, quomodo Superioris & Prælati Regulares, in causis & levibus & gravibus contra suos subditos Regulares
pro

procedere possint & debeant, sed quoniam nomen superioris aliquo modo ambiguum est, & diversi Ordines diversos sibi subalternative succedentes superiores habent; hinc oritur dubium, quis nomine Superioris Regularis intelligendus veniat. Et quidem notum est Ordinem Cisterciensem & Præmonstratensem, habere suum Generalem Abbatem, & Priores, Supprios &c. Carmelitas & Dominicanos, suos Generales, Provinciales, Priores. Franciscanos de Observant. Minores, & Capucinos, suos Generales, Provinciales, Custodes, Guardianos & Vicarios &c. Benedictini Generalem non habent, sed in varias congregationes v.g. S. Justinæ in Italiâ, S. Isidori in Hispaniâ, S. Mauri in Galliâ &c. divisi sunt, quibus congregationibus, vel præest aliquis Generalis, vel aliquis Præfatus principalis, de quibus omnibus & singulis

gulis quæstio est, an sint Ordinarij Regularium, qui in illis vel immediatè vel mediatè subsunt.

De Superioribus Ordinum Mendicantium, qui tantùm triennales sunt, vel alijs Ordinibus non mendicantium, qui tamen ab Ordinarijs exempti, & specialibus privilegijs à summo Pontifice muniti sunt, non est quæstio; sed de non exemptis in quibus militat jus commune seclusis privilegijs specialibus à sede Apostolicâ concessis, qualis in Germaniâ est Congregatio Bursfeldiensis, cùm aliæ Congregationes in Italiâ, Hispaniâ, Galliâ ab Ordinarijs exemptæ esse noscantur.

Ad quæstionem proin respondetur solum Abbatem esse ordinarium Judicem in causis suorum Regularium. Patet ex cap. quanto de offic. Ordin. & probat Tambur. de jure Abbat. tom. 2. disp. 1. q. 4. 1. Quia potestas talis est perpetua.

tua. 2. Episcopi habent ordinariam jurisdictionem in suos clericos & Diocesi, cum ergo Abbates habeant jurisdictionem quasi Episcopalem, & majorem quam Episcopi in suos Clericos, utiq; si illa & hæc erit ordinaria. 3. Jurisdictio, quæ confertur per electionem Collegij vel Universitatis, & habet annexam dignitatem, est ordinaria, sed talis est Abbatum in suos Monachos, *cap. cum ab Ecclesiarum de offic. ordin. Pa. norm. Silvester & alij à Tamb. cit.* hinc est, quod ad solum Abbatem spectet & pertineat correctio Monachorum, *gloss. ad cap. quanto ubi si Prælati, & glossa ad cap. Ea que de stat. Monacho: sive procedatur correctionabiliter, sive in formâ judicij, Unde Cardin. Tusch. tom. 1. concl. 7. n. 4. Abbas, inquit, excommunicat & punit Monachos & Religiosos suos gloss. in cap. de persona: in verb. Monachum 11. quest. 1. & num. 7. Abbas, ait, potest punire,*
corri-

iam corrigere, & de suo Monasterio expellere. Monachos inobedientes secundum constitutiones Religionis, & inquirere contra Monachos super delictis ab eis commissis, & eos punire quia habet ordinariam jurisdictionem num. 8. idq; siue delinquat Monachus in Claustro siue extra, quia jurisdictio Abbatis in suos Monachos non est per modum territorij, sed in capita, ideoq; ubiq; eam exercet, Aegid. Consil. 5. num. 20. & seq. verb. sed occurrit dubium, & tandem num. 11. Abbas ait. majorem habet potestatem & jurisdictionem in Monachos quam Episcopus in suos Clericos, quia Episcopus non excommunicat, non capit existentem extra Diocesim, Abbas ubiq; excommunicat & capit Monachum, quia totus mundus ei pro claustris. . . Quare Romanus Hay Astri in exst. quest. 7. num. 27. si Abbas, inquit, agit contra Monachum ad correctionem secundum Regulam, adeoq; secundum constitutiones Ordinis & Regule

le

la non repugnantes, Abbas praefertur Episcopo, & tunc Monachus tenetur magis obedire Abbati quam Episcopo Panorm. in 6. quanto de offic. ordin. num. 14. S. Thom. in 2. distinct. 44. Insuper Abbas procedendo correctionaliter potest Monachum punire, & ferro abscissionis uti, eumq; ob delicta & incorrigibilitatem habitam & ordine privare, & de Monasterio expellere. Navar. Consil. 77. unde ad propositum Benedictus de Capra reg. 84. num. 2 & 3. ait, communem esse, quod Abbas & non Episcopus in Monachos habet jurisdictionem & correctionem, etiamsi via ordinaria juris procedatur ad poenam, nisi Abbas notorie correctionem negligeret, aut tale crimen Monachus commisisset, ob quod posset degradari. quo casu Episcopus etiam per viam inquisitionis contra eundem & non Abbas procederet. Consentunt Innoc. Hostien. Abbas Ioan. Andre. collectur, Aegidius Bellamer. in cap. quanto, de offic. ord. multi-

multiq; alij quos *Astr. in exst. quest. 7. à num. 40 pag. 309. usq; ad pag. 319. & n. 37.* citat & sequitur *Rom. Hay.* Ex quibus manifestum evadit, Abbatem solum esse sui Monasterij Professorum Monachorum Ordinarium Patrem, Correctorem & Judicem, posseq; illos secundum Regulam & Ordinis constitutiones corrigere & punire in causis gravioribus judicialiter, vel processu summario sine strepitu & figura judicij, vel viâ ordinaria contra eos procedere, de criminibus convictos à divinis & sacrificio suspendere, incarcerare, ad aliud Monasterium culpis sic exigentibus mittere, excommunicationis fulmen vibrare, ac ab omnibus dictis pœnis absolvere, unico crimine excepto quod degradationem mereatur, cujus unica judicatura Episcopo contra Regulares reservatur. Quare *Regulares ab ordinum Prælati excommunicati-*

tos, Episcopus absolvere non potest: Palud.
 distinct. 18. q. 3. art. 2. Abb. in cap. 3. num.
 10. de offic. ord. nisi ad ipsum appellatum sit
 eo quod jurisdictio & correctio Regulari-
 um primo loco ad Abbatem spectet gloss.
 communiter recepta in cap. quanto & Epi-
 scopus ordinariè se immiscere non debeat.
 adeo quidem, ut absolutio seu relaxatio sen-
 tentia irrita sit. Innoc. in c. 3. num. 6. arg.
 cap. dilecto 10. de offic. Archid. quippe cum
 jurisdictio desist. Paul. Laim. q. 9. Canon. de
 Prælat. Elect. q. 124. Dixi in principio
 resolutionis solum Abbatem esse ordina-
 rium suorum Monachorum, ut innuerem
 nec Præsidem, nec Visitatores, nec ul-
 lum alterius ejusdem ordinis Monaste-
 rij Abbatem posse aliquem non suum,
 aut sui Monasterij Monachum, sive
 correctionaliter secundum Regulam,
 sive judicialiter & criminaliter proce-
 datur, sine proprij Abbatis consensu
 vel negligentia punire, suspendere, in-
 cat.

tia proprij Abbatis, ex commissione alterius Diœcesis Monasterij Abbatis conditione, ut suo proprio Abbati, ex itinere redituro, pro omnimoda absolutione se sistere; ab aliquo è suis confratribus, in foro tantum conscientia absolutus erat, sine subsequente alia à proprio Prælato absolutione salvarent; & electionis, cujus ea propter incapax erat, capacem facerent; eorum temeritatis in suis rationibus decidendi progressi sunt, ut non puduerit eos asserere, Monachum excommunicationis reum, non solum à proprio Abbate, sed à quocumque alterius cujuscumque Monasterij, ejusdem Congregationis Abbate, etiam extra actum visitationis, vi communicationis privilegiorum, sine consensu proprij Abbatis absolvi posse, idque sine allegata ulla lege vel Canone unicum *Alviset* sect. 3. cap. 23. §. 2. n. 7. & falso citantes, cum ille

ille in loco illo agat de Dominicanis, qui exempti sunt, nec ullam mentionem fecerit Benedictinorum non exemptorum, de quibus questio erat; falsoq; illi verbo Provinciali addiderint, seu *Præsidi principali*. Quis unquam audivit tam horrenda paradoxa? sed illis adhuc absurdiora addunt, dum dicunt, notorium esse professos Congregationis Bursfeldensis NB. jurare in receptione sua obedientiam Abbati, Ordini, Capitulo, ejusq; statutis & statuendis, adeoq; singulorum Monasteriorum Monachi, in professione sua tot accipiant Ordinarios & Superiores, quod sunt in ea Abbates. Hæc à dictis Theologis tanquam notoria & oracula proponuntur cum Mendacia & piacula sint. Falsum est enim, quod Monachi jam dicti in professione sua jurent obedientiam Ordini. Falsum quod Capitulo ejusq; statutis & statuendis.

endis. Deniq; falsum est, quod Præfens principalis & Visitatores, extra Capitulum generale, vel actualem visitationem, possint Monachos sui Monasterij non professos, sine consensu proprij Abbatis punire vel à censuris & pœnis absolvere. Et nihilominus super his falsitatibus, absurdis & paradoxis, pro sua æterna confusione fundarunt suam sententiam; scilicet quod majori excommunicatione innodatus, non debeat à proprio, sed possit ab alterius Monasterij Abbate, vel ex ejus commissione à quocumq; Monacho, sine præscitu & consensu proprij Abbatis absolvi, & absolutio in foro conscientia data, sola sufficiat, & alia pro foro externo juxta præscriptum Pontificalis Romani & SS. Canonum non sit necessaria, etiam in loco ubi talis forma hætenus observari consuevit. Qui si Canonistæ erant, uti consue-

fule-

sulebantur, utiq; legissent SS. Canones & in specie c. 22. de sent. Excom. in 6. quod sic habet. *Eos qui à sententia Canonis vel hominis (cum ad illum à quo alias de jure fuerant absolventi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum, pro absolutionis beneficio habere recursum) ab alio absolventur, si cessante periculo, vel impedimento hujusmodi, illi à quo his cessantibus absolvi debebant, quam cito commode poterunt, contempserint presentare, mandatum illius super illis, pro quibus excommunicari fuerant, humiliter recepturè & satisfacturi, prout justitia suadebit: decernimus (ne sic illudant censura Ecclesiastica) in eandem sententiã recidere ipso jure.* Ubi bene notanda verba: *illi à quo absolvi debebant, quibus satis innuitur, non à quocumq; absolutionis beneficium posse impendi, sed solum à legitimo & unico superiore.* Legissent

F 3

etiam

etiam *cap. cum desideres 15. de sent. Ex-
comm.* ibi in fin. & *nisi forma Ecclesie, que
pro talibus introducta est, observata fue-
rit, non est communicandum eidem.* Le-
gissent *cap. à nobis 28. eod. tit.* ibi unde
quantumcumq; &c. Legissent Covarr.
aliosq; Canonistas asserentes *quod sine
observatione talis formæ (in Pontificali
& SS. Canonibus præscriptæ) non tol-
latur excommunicatio.* Accedit quod
percussio, ob quam incurta excommu-
nicatio non levis & occulta, ut ipsi asse-
rere ausi sunt, sed toti Conventui & ex-
ternis hospitibus statim innotuerit, &
tam enormis fuerit, ut is, qui absolutio-
nem commiserat, fassus sit; si ista per-
cussio non fuerit enormis, nescio que-
nam unquam enormis erit adeoq; ex-
communicatio propter illam incurta,
ob scandalum & enormitatem, fuerit
sedi Apostolicæ reservata, nec ullus
alius etiam proprius Abbas, ab ea ab-
solve-

*Ex- solve potuerit, Quando enim excessus
que notorius est, Abbas ipsum absolvere non
fue- potest, propter scandalum. gloss. ad cap. cum
Le- illorum.*

Quibus incidenter & necessario ad-
ductis, ad propositum redeundo, ex di-
ctis manifestum evadit, solum Abba-
tem, vel superiorē proprium, esse Or-
dinarium suorum Regularium, posseq;
illos secundum Regulam, Ordinis,
Constitutiones & SS. Canones, dum
excessus & justitia id exigunt, corrige-
re, punire, suspendere, excommunicare,
& incarcerare, ab iisdemq; pœnis ab-
solvere, ejusq; & non alterius licenti-
am in editione librorum juxta præ-
scriptum SS. Concilij Trid. sess. 4. pro-
curare teneantur. Qualem autem po-
testatem habeant Præfident Congre-
gationis & Visitatores, mox videbitur.
Sit proinde.

F 4

ART.

ARTICVLVS IV.

*An Præsidentis principalis alicujus
Congregationis non Exemptæ, habeat im-
mediatam jurisdictionem in Abbates
& Monachos talis Congrega-
tionis.*

Multi-Regulares etiam exempti,
hactenus in illa persuasione fue-
runt, quod Præsidentis Congregationis,
sit illorū legitimus superior, eandemq;
in illos & suos Abbates potestatem ha-
beat, quam habent in se proprii & im-
mediati Superiores. Quare si quid gra-
vaminis ab iisdem patiantur, mox ad
eundem, etiam extra annale Capitu-
lum appellare solent. Unde de officio
& potestate Præsidentis, quæ, qualis, quan-
taq; sit, paucis disquirendum est.

Præsidentis nomen & officium prin-
cipaliter explicatur in *cap. in singulis de
stat.*

stat. Monach. ubi postquam Pontifex Innocent. 3. in Concil. Generali Lateranensi decrevisset, quod *in singulis regnis & Provincijs (salvo jure Diocesano- rum Pontificum) fiat de triennio in triennium commune Capitulum Abbatum & Priorum Abbates non habentium, ad quod universi Canonici impedimentum non habentes, in uno ex Monasterijs conveniant: non multo post subjungit, quod in eodem Capitulo debeant eligi quatuor Praesides qui praesint Capitulo universo, ita tamen quod nullus eorum ex hoc sibi auctoritatem Praelationis assumat, ita ut, cum expedierit, non possit provida deliberatione mutari.*

Ex quibus patet. Primo, quod juxta mentem Pontificis, & Concilij Generalis, tali triennali Capitulo non unus, sed quatuor Praesidere debeant.

Secundo, Quod tales singulis triennijs possint provida deliberatione mutari, & ideo: E s Ter-

Tertio, Nullus sibi debeat auctoritatem Prælationis assumere, cum officium tale non sit perpetuum, & non solum mutabile, sed etiam cessante & absoluto Capitulo exspirans. Huncq; ordinem Præsidentium in initio suæ erectionis etiam observavit Congregatio & Unio Bursfeldensis. Anno enim 1417. Constantiæ Petri domus Provincia Moguntia & Diœcesis Bambergensis, Capitulo præfederunt, Ludovicus Trenorchiensis, Diœcesis Cabilonensis, Thomas Eboracensis, Sifridus Elwagensis, uterq; Augustanæ Diœcesis, & Joannes S. Georgij Constantiensis Diœcesis Abbates. Anno 1418. Capitulo Moguntia celebrato, præfederunt Reverendissimi DD. Abbates, Fuldensis, Campidonensis, S. Udalrici Augustæ & in Reinartzborn. Anno 1420. Capitulo Fuldæ celebrato, præfederunt DD. Lambertus Mon.

tis Monachorum prope Bambergam,
 Fridericus Hirsaugiensis, & Henricus
 S. Gotthardi Monasteriorum Abba-
 tes. Anno 1451. Capitulum servatum
 est Herbipoli ad S. Stephanum, præsi-
 dente Eminentissimo Presbytero Car-
 dinale S. Petri D. Nicolao de Chusa,
 cum alijs adhuc quatuor Abbatibus
 simul præsidentibus. Ex illisq; patet,
 quod in principio Congregationis
 quotannis, aut biennijs, sit servatum
 Capitulum, propter hoc annale dictū,
 in quo semper sunt mutati præsides, id-
 que tam ex ordinatione Concilij Ge-
 neralis Lateranensis, quam vigore al-
 terius concessionis Apostolicæ Pij II.
 in Bulla Regis Pacifici cujus ineffabili pro-
 videntia, Congregationi Bursfeldensi
 Concessæ. Ubi inter cætera Pontifex;
*Nos pium meritoriumq; vestrum pro hu-
 jusmodi Religionis augmento amplecten-
 tes affectum, & sanctum puritatis Zelum*

in Domino commendantes &c. authoritate Apostolica confirmamus, ratificamus, & approbamus, & presentis scripti Patrocinio communimus, quodq; vos in uniformitate observantia coadunati, Capitulum annale hujusmodi, singulis annis legitimo cessante impedimento, juxta modum & formam, tam per Apostolica sedis, quam Concilij Legatos, ut præmittitur vobis traditam, citra exemptionem à Capitulo Provinciali, seu ordinaria visitatione, seu cujuscumq; jurisdictionis præjudicium celebrare, inibiq; quæ reformationis & observantia Regularis sunt, tractare, statuerè, definire possitis. Quare statuta antiqua Unionis Bursfeldensis, licet Abbatis Bursfeldensis tanquam perpetui (quo jure nescio) Præsidis, & quomodo is eligi debeat, mentionem faciant, nihil tamen speciale circa officium illius statuunt, nisi quod dictum Abbatem, si canonicè electus fuerit omnes Abba-

tes,

res, Præpositi, Rectores, Priores, alijq;
Capitulo subjecti, pro suo principali
Præsidente agnoscere debeant, & is
possit constituere locū & tempus pro-
ximi Capituli annalis; an autem præ-
ter hoc aliquam majorem habeat au-
thoritatem, quam non habent alij Com-
præsides, nequaquam determinatur,
& si aliqua sit, non nisi ex privilegio
Pontificio, in quo expresse juri Cano-
nico & *capiti in singulis* derogatur, ha-
beri possit. Certe dicta statuta in cap.
de Capitulo annali, omnem potesta-
tem relinquunt Definitoribus & Com-
præsidentibus, tam durante Capitulo,
quam extra illud, idquè conformiter
sacris Canonibus. Quamvis consuetu-
do, quod à Præsidente appropinquan-
te Capituli annalis tempore, juxta de-
cretum præcedentis Capituli, prævie
Abbatibus avisentur & citentur, ac in
causis arduis tempore intermedio oc-

currentibus, si usque ad instans Capitulum differri nequeant, ipse Præsidentis cum Diffinitoribus & Compræsidentibus, quod justum est, per majora decidere possit, improbari nequeat, nec sacris Canonibus contraria sit: ita tamen quod in proximo Capitulo de super Relatio fiat, & Præsidentis principalis se solo, sine consensu & placito Diffinitorum & Compræsidentium nihil statuere valeat.

Igitur potestas Præsidentum jam dictorum, sive Præsidentis principalis, & Compræsidentum ac Diffinitorum, in loco quatuor Præsidentum, ex ordinatione Pontificia in *cap. in singulis* subintrantium, ex dicto capite seclusis specialibus privilegijs Apostolicis, in eo consistit.

Primo, ut coram ipsis Capitulum celebretur, in eoquè diligens tractatus de reformatione ordinis & observantia Regulari habeatur. Et quod quatuor

tuor illis approbantibus, statutum fuerit, inviolabiliter, omni excusatione, contradictione & appellatione remotis, observetur.

Secundo. Ut dicti Præsides provideant, ubi sequenti termino debeat Capitulum celebrari.

Tertio. Ut in eodem Capitulo ordinentur Religiosæ, ac circumspectæ personæ, quæ singulas Abbatias, ejusdem Regni seu Provinciæ, non solum Monachorum, sed etiam Monialium secundum formam sibi præscriptam, *vice nostra* (verba sunt summi Pontificis) *studeant visitare, corrigentes & reformantes, qua correctionis & reformationis officio viderint indigere* &c. de quibus articulo sequenti. Quare ut bene observat *Tambur. de jure Abbat. tom. 3. disput. 1. quæst. 3. num. 24. & 25. Definitores & Compræsides, non solum Consultivum, sed etiam definitivum votum habent,*

habent, ut ipsa nominis Etymologia importat, & ea propter Abbas sive Præsidentis Generalis, nullam causam, quæ per constitutiones, sive ex consuetudinè, cum Consilio expedienda sit, iudicio suo absquè ipsorum Definitorum consensu collegialiter, & simul habito, definire potest. Unde primaria & principalis potestas Præsidentis est in præsidendo Capitulo, non sua, sed Definitorum & Compræsidentium simul collegialiter existentium, in anteriori Capitulo præfinitorum auctoritate, Quare is potestatem non habet, pro suo libitu, vel tempus, vel locum, pro Capitulo proximo collegialiter indicta mutandi, vel decreta facta everrendi, Visitatores in Capitulo ordinaros deponendi, & alios extra Capitulum nominandi; cum hæc omnia Pontifex in Concil. Generali fieri velit. Ordinuntur, inquit, in eodem Capitulo, circumspecta persona qua visitent Monaste-

ria &c. in Capitulo inquit & non extra illud, ab aliquo in particulari. Quod si Præfidentale quid præsumat, talis Visitatorum nominatio, & constitutio: tanquam SS. Canonibus & constitutioni Concilij Generalis repugnans, est ipso jure nulla, & taliter constituti Visitatores, nullam acquirunt ad visitandum jurisdictionem, & quæ agunt & ordinant, vitio nullitatis laborant. Maxime cum Visitatores in Capitulo triennali vel annali nominati aut ordinati, suam potestatem non à Concilio Generali, sed à summo Pontifice accipiant, ut innuitur in istis verbis: *Vice nostra studeant visitare &c.* ac ita sint quo ad hoc delegati summi Pontificis, nullius nec Præfidentis, vel Diffinitorum Jurisdictioni, quantum ad sui amotionem vel aliorum, extra Capitulum constitutionem, subjecti. Gravissima proinde SS. Canonum ignorantia laborant, qui asserere audent, quod: Pri-

Primo, Præsidentis principalis, sit omnium Abbatum & Religiosorum, Congregationi subditorum & unitorum Legitimus Superior, possitq; Abbatibus vel Monachis, sine suorum Abbatum placito & consensu, solus extra Capitulum aliquid mandare; imo quod potestatem & Jurisdictionem habeat, omnes personas Congregationis sive Visitatores, sive Abbates, sive alij professi fuerint, puniendi, & circa illos disponendi, fratrem in quocunque Monasterio corrigendi, in custodiam recludendi, & à casibus reservatis absolvendi; cum ex superioribus & SS. Canonibus constet, solum Abbatem esse ordinarium suorum Monachorum, & eorum correctionem primo loco ad Abbatem spectare; nec major confusio in disciplina Regulari & ordine hierarchico induci possit, quam si Præsidentis principalis, Visitatores & proprij

prij Monachorum Abbates, omnes in-
solidum potestatem & Jurisdictionem
habeant, se solis alijs irrequisitis, corri-
gendi, puniendi, incarcerandi &c.

Secundo, errant & graviter halluci-
nantur, qui asserunt; quod Præsidens
se solo habeat potestatem indicendi
Annale Capitulum, & pœnas per Ec-
clesiasticas ad hoc compellendi.

Tertio, Quod ejus definitionibus,
decretis & ordinationibus, omnes pa-
rere teneantur.

Quarto. Quod ipse Visitatores or-
dinet & approbet.

Quinto. Quod Abbatum Jura-
menta & Resignationes ipse suscipi-
at, & si Abbas amovendus & admi-
nistratores subrogandus sit, id illius au-
thoritate fieri debeat.

Sexto. Quod ad ipsum per visitato-
res, omnia Congregationis negotia re-
ferri debeant, ad illorumquè expedi-
tionem,

116 CAUTIO JUDICIALIS

tionem, ipse aliorum vicinorum Abbatum consilio uti, & extra Capitulum dum nullum subest periculum, decidere possit.

Hæc enim omnia menti Pontificis & constitutioni Concilij Generalis Lateranensis diametraliter repugnant, uti textum inspicienti clarum est. Sed & Bulla Regis pacifici, *cujus inscrutabili providentia* Congregationi Bursfeldensi concessa, nō aliud ordinat, quam quod dicta Congregatio, unum corpus & Capitulum præsentet, ad Instar fratrum de Observantia Congregationis S. Justinæ Paduanensis, sub S. Benedicti Regula degentium. Et idem Pius II. tam in jam allegata, quam in alia ad Episcopum Eistettensem Anno 1461 data, quæ incipit. *Inter cætera nostri cordis arcana*, nullius Præsidis principalis faciat mentionem, sed Abbatum &c. nam mox in principio. *Sane*

ait,

ait, pro parte dilectorum filiorum Abbatum, & reformatorum trium reformatio-
num, videlicet Bursfeldensis &c. & paulò infra: ipsiq; Abbates & reformatores
&c. utiq; innuere volens, quod conformiter constitutioni Concilij Lateranensis, supradictæ facultates & jurisdictiones, non penes unum Præsidentem etiam principalem, sed quatuor Præsides, durante Capitulo esse debeant, qui tamen ea propter nullam sibi authoritatē prælationis assumere possint. Quod etiam confirmatur ex jure Canonico, in quo similis Præsidis principalis nulla fit mentio, nisi in supra allegato cap. in singulis, & cap. Ne Religiosi x. 24. de Regul. ubi Pontifex statuimus inquit, ut Præsidentes Capitulis celebrandis secundum statutū Concilij Generalis, seu Patres Abbates seu Priores, fugitivos suos & ejectos de ordine suo requirant annuatim. Si enim Abbas
Gene-

Generalis, qui est tanquam proprius
 Episcopus totius Religionis, immedia-
 te sub Summo Pontifice constitutus,
 teste *Tamb. de jure Abbat. tom. 3. Dissp.*
3. Quest. 1. num. 5. tantam potestatem
 qualis supra allegata est, non habeat;
 sed à majori parte Capituli in similibus
 dependeat: quomodo illam Præfidentis
 etiam principalis, Ordinario subjectus,
 prætendere poterit? Et quis credat
 Abbates, maximè exemptos, inter
 quos plures sunt Imperij Principes &
 Abbates Imperiales, nulli nisi Summo
 Pontifici subjecti, fuisse tam impru-
 dentes, ut cum sua Monasteria Congre-
 gationi unirent, voluerint se omnesq;
 suos Regulares, alicui Præfidi princi-
 pali, alterius Monasterij Abbati v. g.
 Bursfeldensi, jam sub potestate acatho-
 licorum existenti tanquam suo legiti-
 mo superiori & ordinario subicere?
 Certe antiqua, hucusque observata
 statuta

statuta Unionis & Congregationis Bursfeldensis, nullam majorem potestatem, dant Præsidi Principali, quam concedit Concilium Generale Lateranense: unde ergo aliam & majorem potestatem sibi arrogare poterit? Nisi ergo per nova indulta & privilegia Pontificia, in quibus Pontifex ex certa scientia, derogavit constitutioni Concilij Lateranensis probetur, quod Præsidi principali, tales jurisdictiones competant; debent omnia manere in ordinationibus dicti Concilij, nec possunt Abbates etiam in Capitulo annali vel triennali congregati, quidquam sine expresso consensu Pontificis contra statuere.

ARTI.

ARTICVLVS VI.

Quam potestatem habeant Visitatores, in Capitulo Annali constituti, in Abbatibus & Religiosos, Monasteriorum sibi ad visitandum conceditorum.

NUllum esse efficacius remedium sanam orthodoxamq; doctrinam expulsis hæresibus inducendi, bonos mores tuendi, pravos corrigendi, Religionem pacem & concordiam omnemque virtutes stabiliendi, disciplinam Ecclesiasticam & Regularem conservandi, & ubi collapsa est, reparandi, quam crebras Archiepiscoporum, Episcoporum & Prælatorum Regularium, sibi subjectarum respectivè Archidiecensium, Diocesium & Monasteriorum visitationes, optimè noverunt summi Pontifices, omniaq; Concilia Generalia,

in sua Congregationis Monasteria, ac Regularis in eis commorantes, quam alij Praesides, ac Visitatores in caeteris habent ordinibus, teneanturq; sua Congregationis Monasteria frequenter visitare, & illorum reformationi incumbere, & observare quae in SS. Canonibus & in hoc sacro Concilio decreta sunt. Officium autem & potestas Visitorum, in Generali triennali vel annali Capitulo Ordinatorum magna est, & major quam Praesidis etiam principalis in & extra Capitulum. Ipsi enim ut Delegati Sedis Apostolicae Gloss. ad cap. in singulis. ibi. vice nostra: potestatem habent, non solum Monachorum, sed etiam Monialium Monasteria, vice Sedis Apostolicae secundum formam sibi praefixam visitandi, corrigendi, & reformandi, quae correctionis & reformationis officio viderint indigere, ita quod si Rectorem loci cognoverint ab administratione penitus amovendum, denuncient Episcopo proprio,

ut illum amovere procuret. Quod si non fecerit, Visitatores hoc referant ad Apostolica Sedis examen. Et cap. immediate sequenti Ea quæ de stat. Mon. Porro, ait, cum Visitatores, secundum statutum Generalis Concilij, ordinati à Generali Abbatum Capitulo processerint ad Visitationis officium exequendum, de statu Monasteriorum & Observantijs Regularibus diligenter inquireant, & tam in Spiritualibus, quam in temporalibus corrigant & reforment, quæ viderint corrigenda, ita tamen, quod Monachos delinquentes per Abbatem loci corrigi faciant, eisq; injungi pœnitentiam salutarem, juxta beati Benedicti Regulam & Apostolica instituta, non secundum morem prave consuetudinis, quæ quasi pro lege in quibusdam Ecclesijs inolevit. Ipsi etiam Visitatores, Monachos quos contumaces invenerint & rebelles, juxta modum culpa, vice nostra, regulari censura percellant, absque personarum delectu, non parcendo re-

bellibus, ob suam pertinaciam, vel potentiam amicorum, quin ovem morbidam eiciant ab ovili, ne inficiat oves sanas. Si vero Abbates in corrigendis juxta Visitatorum mandatum & regularia instituta se ipsis, seu Monachis inventi fuerint negligentes, proclamantur & corripiantur, & ita puniantur publice in Capitulo Generali, quod pœna ipsorum sit alijs in exemplum. Quod si Abbas non exemptus, fuerit à Visitatoribus nimis negligens, & remissus inventus, id loci Diœcesano denuncient sine mora, & per illum detur ei fidelis & providus Coadjutor usq̃ ad Capitulum Generale. Si autem dilapidator inventus fuerit, aut alias merito amovendus, per Diœcesanum postquam sibi à Visitatoribus denunciatum fuerit amoveatur, absq̃ judiciorum strepitu à Regimine Abbatia, ac Monasterio provideatur, interim Administrator idoneus, qui temporalium curam gerat, donec ipsi Monasterio fuerit de Abbate provisum.

visum. Quod si forsam Episcopus hoc ad implere noluerit, aut neglexerit, Visitatores vel Præsidentes Capitulo Generali, defectum Episcopi Apostolica Sedi non differant intimare. Hæc eadem circa exemptos Abbates fieri præcipimus, per Visitatores & Præsidentes Capitulo Generali: depositione ipsorum Sedi Apostolica reservata, ita ut Abbatem qui amovendus videbitur interim per Visitatores vel in Capitulo Præsidentes ab administratione suspensio, Administrator idoneus Monasterio deputetur. Illorum autem excessus & alia, quæ visa fuerint intimanda Capitulo, Præsidentes nobis denunciarent, per fideles nuncios & prudentes, quibus de communi contributione Abbatum juxta cujuslibet facultates, sufficienter ministrarentur expensæ. Sequentes autem Visitatores perquirant priorum Visitorum vestigia diligenter, & eorum negligentias & excessus referant sequenti Capitulo Generali, ut juxta culpam

eam pœnam portent. Idem etiam de Abbatibus Presidentibus Generali Capitulo precipimus observari.

Ecce accuratam & plenariam Officij & dignitatis Visitatorum descriptionem, ex qua pleraquè superius dicta confirmantur, patetquè officium Visitatorum consistere in sequentibus.

Primo ut à solo & in solo Capitulo & non extra illud nominentur & constituentur ibi *ordinentur etiam.*

Secundo. Quod sint Delegati sedis Apostolicæ, ibi *vice nostra studeant visitare.*

Tertio. Quod si ex scrutinio visitationis, in illaq; depositis, & probatis, viderint & iudicaverint Rectorem loci, ab officio & administratione pœnitus removendum esse, non ipsi potestatem habeant amovendi, sed id ipsū Episcopo proprio nunciare debeant, ut is illum amovere procuret, ibi, *ita quod si Rectorum:*

ctorem : cum, hac tamen differentia, quod si Abbas non sit exemptus, talis denunciatio fieri debeat Episcopo, ut is vel det Coadjutorem usq; ad generale Capitulum, vel si dilapidator fuerit, posito ad tempus administratore eum amoveat: ibi. *Quod si Abbas non exemptus.* Sin autem Abbas fuerit exemptus, ejusdem excessus debeant vel à Visitatoribus, vel Præsidentibus Capitulo Sedi Apostolicæ denunciari, cum solus summus Pontifex sit Episcopus & Ordinarius exemptorū & illorum depositio, amotio, vel ab officio suspensio, sit Sedi Apostolicæ reservata: ibi. *Hæc eadem circa exemptos.*

Quarto. Obligantur Visitatores si facta à se denunciatione, Episcopus amotionem dilapidatoris vel nimium remissi & negligentis procurare noluerit, id ipsum Sedi Apostolicæ denunciare, ibi. *Quod si non fecerit. Licet c. ea*

qua. sub disjunctione talem denuncia-
tionem, vel Visitatoribus vel Præ-
sidentibus Capitulo liberam relinquat
ibi. *Quod si forsan Episcopus.*

Quinto. Potestas Visitatorum in
locis à se visitandis illimitata est, ex-
tenditq; se tam ad temporalia, quam
spiritualia. ibi, *Et tam in Spiritualibus.*

Sexto. Non habent tamen pote-
statem in delinquentes Monachos, ut
illos corrigere & punire possint, hæc
enim spectat *ad Abbatem loci*, tanquam
suorum Monachorum ordinarium, ut
supradictum est. ibi. *Ita tamen, quod de-
linquentes Monachos: nisi fortè Mona-
chi contumaces & rebelles fuerint, ita
ut proprius Abbas eos corrigere non
possit, in illo enim eventu accipiunt
potestatem, eos regulari censura per-
cellendi, idq; sinè personarum accep-
tione non attenta amicorum potentia,
servata nihilominus proportione inter-
cul-*

culpam & pœnam. ibi. *Ipsi etiam Visitatores. Rom. Haij Astrinext. quest. 7. num. 35. pag. 302.*

Septimo. Debent Visitatores se dirigere secundum Apostolica instituta, non secundum normam pravæ consuetudinis, quin potiùs pravas consuetudines abrogare debent. Ibi. *Non secundum normam &c.*

Octavo. Obligantur Visitatores, suorum Antecessorum vestigijs insistere, quæ bene ordinata executioni mandare, & ut executi in vigore persistant allaborare, nec non eorum negligentias, si quas in processu visitationis repererint, Capitulo Generali pro correctione denunciare. Ibi! *sequentes autem.* Præ omnibus autem accuratissimè attendere ne quid contra SS. Canones, & SS. Concilium Tridentinum statuatur.

Nono. Quod Abbatis negligentia

G 5

in

in corrigendo se ipso, & Monachis suis, primo loco puniri debeat à Capitulo, adeoq; non à Præsidente nec à Visitatoribus. *ibi, proclametur & corripiantur.* Negligentia verò Præsidentium Capitulo, & non supplementum Abbatis defectum ab Ordinario suppleri debet. *Hay Astri in ext. quest 7. num. 35. §. concluditur 2.*

Controvertitur autem an deputati à Capitulo Generali, vel Provinciali Visitatores, habeant potestatem & jurisdictionem Ordinariam, vel delegatam. Et licet quidam putent, talem jurisdictionem esse Ordinariam, cum ordinaria jurisdictio illa sit, quæ à Canone lege consuetudine vel electione originem habet, & Visitorum jurisdictio sit à Canone, & Concilio Generali Lateranensi *cap. in singulis*; quia tamè non est perpetua, sed tantum durans ad tempus Visitationis, illaq; finita ex-

spi.

spirans; ea propter dicendum est, talem jurisdictionem esse delegatam, illudque indicant verba, *vice nostra*, ad quæ *Glossa* asserit Visitatorem esse *delegatum summi Pontificis*, ita, *Tambur. in prax. crim. Abbat. quest. 1. num. 12. Card. Tusch. tom. 7. concl. 216. num. 12. ibi, Delegatam inquit, jurisdictionem habent Visitatores, etiamsi sint delegati vel subrogati loco habentis ordinariam jurisdictionem ad visitandum, ideo non possunt visitare nisi semel. Fider. de sen. cons. 145. in princ. verb. non est solutum dubium.*

Alia difficultas est, an Episcopi & Ordinarij possint non obstantibus Visitationibus à Visitoribus, in Capitulo Triennali vel Generali servatis, etiã ipsi Monasteria visitata vel visitanda auctoritate Ordinaria vel prævèntivè vel ex consequenti visitare. Et hujus difficultatis occasionem tribuit textus in cap. in singulis præcipiens, ut *Diaçesa-*

ni Episcopi Monasteria sibi subiecta ita studeant reformare, ut cum ad ea, prædicti Visitatores accesserint, plus in illis inveniunt, quod commedatione, quam quod correctione sit dignum. Ex quo apparet, mentem Concilij Generalis esse, ut Episcopi Ordinum Visitatores, in visitandis Monasterijs prævenire debeant, & sic illa reformare, ut illi nõ habeant quod reforment, sed laudent. Et respondendum quod talia verba sint Monitoria potius quam obligatoria, Ordinariorũ, ac forte ante dicti Concilij Generalis constitutionem, sic fuisse in praxi servatum; sed Patres in dicto Concilio congregati, longa experientia edocti, compertum habebant, plus utilitatis tam in spiritualibus, quam in temporalibus, in Monasterijs sperari & expectari posse, si posthac Visitationis munus, ab ipsis Abbatibus diuturna praxi in Monachorum Regimine edoctis &

ver;

versatis obiretur, cum ea de causa talis constitutio emanarit. Optabantq; dicti Patres ut Ordinarij ante Adventum, primorum ex vi hujus constitutionis Visitatorum, ita omnia reformarent, ut omnia in visitatione prima bene ordinata invenirentur. Et hanc eorum mentem fuisse constat ex consequentibus, ubi Visitatoribus in Generali Capitulo deputatis demandatur, ut si videant *Rectorem loci ab officio amovendum, id denuncient Episcopo, ut illum amovere procuret*: adeoq; eosdem præviè visitasse necessario supponunt. Quare deinceps semper ordinis Visitatoribus exercitium visitandi relictum est, jure habituali apud Ordinarios remanente, vigore cujus si Ordinarij Visitatores, suo officio non satisfaciant, & talem negligentiam ab Ordinarijs moniti, infra sex Menses non emendent, ij visitare & corrigere possent, nullo privilegio

appellatione vel exemptione obstantem, quod tamen non poterunt, quamdiu ordinarij Visitatores Regulares commissum sibi visitationis munus diligenter obeunt & corrigunt corrigenda, & reformant reformanda, juxta SS. Canonum dispositionem, ita *Casspar Denichius Ioan. Bapt. Vivian. Barbosa & alij à Rom. Hay quest. 7. num. 35. citati.*

ARTICVLVS. VI.

Capitulum Triennale, Annale, vel etiam Generale, qualem potestatem tam in Abbates, quam Monachos habeat & que statueret possit.

AD reparationem status religiosi, longitudine temporum, ex naturæ humanæ inconstantia, & ad malum proclivitate, Religiosorumq; imperfectione à primo suo fervore paulatim dilabentis, Summi Pontifices in Concilijs

cilijs Generalibus, tam Lateranensi quam Tridentino sanctissimè ordinarunt, ut Religiosorum Ordinum Superiores, quotannis, alternis annis, aut etiam triennijs in unum convenirent, & Generale vel Provinciale Capitulū celebrarent, in eoq; tractatum instituerent de illis, quæ spectant ad incrementum & reparationem disciplinæ Regularis, correctionem excessuum ac defectuum, malarumq; consuetudinum clanculum irrepentium, ac vineam Domini devastantium, & præcipuè ad declaranda & explicanda, quæ in regula & statutis à Sede Apostolica approbatis, obscura & dubia sunt, ne si quilibet in particulari Prælatus, vel superior Regulam juxta suum placitum explicare attentet, innumeris disordinationibus, dissensionibus, & inquietudinibus sternatur via, & non jam Regulæ, sanctorum Patrum, sed voluntas

tas

tas Abbatis vel Superioris, sit Regula Monachorum aut Regularium. Et hanc esse voluntatem Concilij Generalis patet ex *cap. in singulis*, ibi. *Hujusmodi vero Capitulum, aliquot, certis diebus continuè juxta morem Cisterciensis Ordinis celebretur. In quo diligens habeatur tractatus de Reformatione Ordinis, & Observantia Regulari, & quod statutum fuerit, illis quatuor (Præsidibus nimirum approbantibus) inviolabiliter observetur, omni excusatione, contradictione vel appellatione remotis.* Vigore cujus omnes, tam Abbates, quam Religiosi, obligantur ad observandum statuta in simili Capitulo decreta, ita ut necesse non sit, eosdem speciali aliqua formula ad hoc obligare, nam pleriquè Religiosi præter solemnem professionem, & vota solemnia Deo nuncupata nullo alio formulari astringuntur & tamen vigore professionis, quàm in ordine
emise-

emiserunt ad id obligantur, & observare coguntur.

Capitulum ergo statuere potest ea quæ pro ordinis Reformatione expediunt & ad observantiã Regularẽ conducunt; Sed super hoc quæstio occurrit, ut si aliquid sit quod sacris Canonibus contrariatur, & tamen ad observantiam Regularem conducere, eamq; promovere potest, an id ipsum à Capitulo Generali, vel triennali, etiam statui possit, præsertim cum defacto in aliquibus Religionibus similia statuta reperiantur. Et respondetur quod nullus Prælatus Romano Pontifice inferior, absquẽ speciali ejus auctoritate sibi tradita, potest aliquid statuere quod est contra jus commune. *cap. Quod super his de majorit. & obedient. Panorm. cap. cum in tanto num. 9. & 10. & alij Doct. Lex enim superioris, per inferiorem tolli nequit, Clem. ne Romani*

Romani

Romani de elect. quia inferior nullã habet Jurisdictionem in Superiorem *Novar. lib. 4. consil. tit. de Regular. Cons. 5.* & Inferior Superioris jura subvertere nequit. *Surd. cons. 98. n. 6. Tambur. de jure Abb. tom. 3. disp. 2. quest. 3.* In tantum quod Legatus de Latere licet habeat amplissimam potestatem, statuta contra S. Canones facta approbare vel confirmare non possit, & confirmatio in simili casu facta nihil juvat, ut fatetur *Gratianus discept. foren. cap. 9. num. 10.* & *Rota decis. 145. part. 1. & decis. 339. part. 2. in recent.*

Si proinde in aliquibus Concilijs Generalibus, sive provincialibus, statuta conderentur, quæ essent contra jus commune, idquæ absquæ privilegio speciali Sedis Apostolicæ, talia sunt absolute invalida, & nulla, nec ad illorum validitatem sufficit allegare privilegia communia & incerta, ut patet ex

Paney-

Panormitano in cap. 81. duobus de appellat.
 & alijs à *Tamb. loc. cit.* nisi talia statuta,
 de post essent à Summo Pontifice con-
 firmata. Imo non sufficit allegare ge-
 neralem licentiam condendi statuta:
 sed requiritur ut Generalis, vel Præsi-
 dens principalis, cum Capitulo obti-
 neant specialem facultatem, ut possint
 derogare juri communi. *Navarr. loc. cit.*
 quod si non fiat, nullius erunt momen-
 ti condita statuta, semper enim in re-
 scripto Pontificio subintelligitur clau-
 sula: ut statuta & statuenda sint licita &
 honesta, nec sacris Canonibus contra-
 ria. Et horum omnium ratio est, quod
 Jus Canonicum principaliter intendit
 hominem dirigere ad Deum, & venit
 ad bonum publicum Ecclesiasticum,
 unde statutum contrarium editum ab
 inferioribus, præsumitur temerarium,
 ambitiosum & contrarium fini æterno
 & supernaturali. *Tamb. de jure Abb. loc.*
cit. num. 5. Sicut

Sicut

Sicut Capitulum Generale, Triennale vel Annale nihil potest statuere contra sacros Canones; sic nec potest statuere, quod religiosi teneantur servare illa quæ sunt supra, infra, vel contra regulam, quam professi sunt. Summa autem juxta *Lessium de jure & just. lib. 2. cap. 21. Dnb. 9.* supra regulam; ire ad fideles ubi est manifestum periculum mortis, vel servituris. Jejunare longo tempore, abstinere à carnibus ad unum Mensem, in Religione ubi hoc non est præscriptum, Quibus addit *Philippus Sanctissima Trinitate* suscipere curam animarum, Episcopatum E. G, vel Parochiam, quando regula similia non præcipit. Majores poenitentia quam sint in ordine consuetæ, nisi tales ob poenam alicujus delicti imponantur. Quod ultimum benè notandum est à Superioribus, qui quotidie novas poenitentias, hætenus in Ordine & Monasterio

cui præsumunt in consuetas excogitant,
 putantes, se posse quemlibet excessum,
 quâvis sibi placita pœnitentia corrige-
 re; aliquando per similes procedendi
 modos, Religiosorum suorum famam
 periculo exponentes. Infra verò regu-
 lam censentur nimia regulæ & statuto-
 rum mitigatio, ut e. g. in Regula S. Be-
 nedicti, abrogatio silentij nocturnis
 horis & locis determinatis, libera sine
 licentia Superioris & Abbatis extra
 Monasterium evagatio. &c.

Quibus præsuppositis, assertū, quod
 apud omnes fere Doctores teste *Cor-
 dula in Regulā Sanct. Francis. c. 20. quæst. 2.*
 comūne est, demonstratur ex *S. Ber-
 nardo lib. de præcepto & dispensatione c. 4.*
*monentes, inquit, eos, non cogentes ad cel-
 siora: condescendentes eis cum necesse fue-
 rit ad remissiora.* Et paulo supra eodem
 cap. *Is, ait, qui profitetur spondet obedi-
 tiam, non tamen omnimodam, sed deter-*
mina-

minate secundum regulam, nec aliam quam
 S. Benedicti (loquitur de Benedictinis
 qualis ipse & sui erant) ut oporteat cum
 qui praest, non fræna sua laxare voluntati
 super subditos, sed praefixam à regula sibi
 scire mensuram, & sic demum sua imperia
 moderari, circa id solum quod rectum esse
 constiterit, nec quodlibet rectum, sed id
 tantum quod praedictus Pater instituit. Sic
 quippe habet professio: Promitto non quan-
 dam regulam, sed obedientiam, secundum
 Regul. S. Bened. NB. Non ergo secundum
 voluntatē Praepositi. Proinde si professo se-
 cundum Regulam, Abbas meus mihi aliud
 fortè imponere tentaverit, quod non sit se-
 cundum Regulam, aut etiam quod non sit
 secundum illa instituta quanam mihi qua-
 so in hac re necessitas imminet obsequendi?
 solū quippe à me posse exigi arbitror, quod
 promisi. Et cap. 5. Ergo Praelati jussio vel
 prohibitio non praetereat terminos Profes-
 sionis, nec ultra extendi potest, nec contra.

hici-

*hicitra. Nil me Prælatus prohibeat eorum
 que promisi, nec plus exigat quam promisi.
 Eandemq; sententiã sequuntur D. Tho-
 mas 2.2. q. 104. art. 2. ad 3. D. Bonaven-
 tura in 2. dist. 44. ad 3. q. 2. S. Antoninus 3.
 part. tractat. 16. cap. 1. § 9. Cajetanus 2. 2.
 quest. 88. art. 8. Durandus, Gabriel, Sotus,
 Toletus, Azorius, Vasquez & alij; estque
 communis & tam certa, ut citatus su-
 pra Lessius asserat, non solum superio-
 rem Regularem non posse ratione voti
 obedientiæ, obligare subditum, ad ea
 quæ sunt supra, contra, vel infra Regu-
 lam: sed nec summum Pontificem, quia
 hic non potest amplius vi voti obedi-
 entiæ quam superior Regularis, cum
 inferior non magis huic quam illi se in-
 tenderit obligare per votum obedi-
 entiæ, quamvis ut Pastor universalis Ec-
 clesiæ (cui Dominus omnem potesta-
 tem necessariam ad bonam Ecclesiæ ad-
 ministrationem contulit in oves) plura
 præ-*

præcipere possit, quam superior Regularis v. g. capessere Episcopatum, vel aliam dignitatem extra Religionem, quod tamen Prælati Regularis præcipere non potest.

Certum ergo & indubitatum est, Capitulum Annale, nec contra sacros Canones, nec aliquid quod est supra, infra vel contra Regulam, statuere posse, & si quid statuatur id nullam obtinere roboris firmitatem, nec religiosos illorum observantiam obligari, vel coarctari posse, iisdemque injuriam fieri, si ad hæc coarctari velint. Quare dum Religiosi in Monasterijs Unionis Bursfeldensis, ante solemnem in Ecclesia Professionem, mane in Capitulo faciunt Professionem (ut erronee nominatur) seu potius promissionem ad manus Prælati, quo promittunt obedientiam Capitulo Annali Patrum de Observantia Bursfeldensi, submittentes se

statu-

statutis & statuendis ejusdem; talis promissio non aliter accipienda est, quam quoad illa quæ Ordinis reformationē secundum Regulam, & Observantias Regulares concernunt, ad quæ vigore constitutionis Concilij Lateranensis obligantur, nec per novam promissionem obligari necesse est. Cum absq̄ hoc opus periculosa alex sit, quod Novitij, & statutorum & statuendorum ignari, urgeantur ad promittendum illa, quæ an justa fuerint vel futura sint, nesciunt, utpote qui pro tunc, nec de statutis, an sacris Canonibus & voto obedientiæ quod præstant conformia sint, nihil sciunt, nec ut id sciant permittitur. Nulla etiam inter solemnem professionem & præcedentem manualementalem promissionem sit connexio, licet illis absque ullo fundamento persauderi velit, quod solemnis professio manuali robur & firmitatem addat, &

H

sine

sine illa nullius vigoris sit; idque nullo allegato Canone, lege vel privilegio.

Quod si verum est, uti est, non posse Generale vel Annale Capitulum quidemquam contra sacros Canones, vel quod est, supra, infra, vel contra Regulam statucere, multo minus id poterit aliquis privatus Abbas, vel Superior, contra suos Monachos, vel Regulares, quibus absque hoc nulla est potestas statuta vel leges perpetuo valituras condendi, licet habeat Jurisdictionem quasi Episcopalem in suos. Cujus rationem allegat *Tambur. de jure Abb. tom. 3. disp. 3. num. 2.* quod scilicet Religio se habeat tanquam unum corpus politicum, debeatque servare unitatem quantum possibile est, quam servari impossibile erit, si quilibet Abbas in suo Monasterio, perpetua statuta, aliorum Monasteriorum statutis & aliquando totae Congregationi difformia & incognita,

ta, condere possit. Pro quo malo præ-
cavendo jubet S. Pater cap. 7. Regulæ
Octavo gradu humilitatis, *ut nihil
agat Monachus, nisi quod communis Mona-
sterij Regula & NB. Majorum hortantur
exempla, ut ita in omnibus Monasterijs
servent unitatem, in vinculo pacis.* Et
licet Abbas nomine Monachorum
non veniat in odiosis, singularitas ta-
men æque illi, quam alijs Monachis à S.
Patre interdicta est, ipseq; magis quo-
ad exemplum obligatur servare unita-
tem in Congregatione servari debi-
tam & solitam, quam ipsi Monachi.

Quibus tamen non obstantibus pro
dolor inveniuntur aliqui Abbates,
(absit enim omnes tales esse) qui suo-
rum Monachorum putant se esse sum-
mos Pontifices: ordinant, ædificant,
mutant quadrata rotundis, quod nocte
somniaut, per diem statuunt, suosque
Monachos ad illorum observantiam

H 2

per

per pœnitentias & cōtinuas persecuti-
 ones adigunt, & *quidquid voluerint, hoc
 dicunt sanctū, quidquid noluerint, hoc di-
 cunt non licere.* Pro suæ voluntatis ar-
 bitrio cuncta disponunt, & nullo habi-
 to Congregationis, Capituli Annalis,
 Visitatorum, vel sui Capituli placito
 vel consensu, quæ hætenus tam in alijs
 Monasterijs, quam suo, inconsuetæ e-
 rant, ordinant. Pœnitentias novas in
 Ordine nunquam practicas, nec Re-
 gulæ, Statutis, aut Capituli Annalis con-
 stitutionibus insertas, excogitant, &
 per continuas persecutiones observa-
 re & subire cogunt. Juste sibi oppo-
 nentes, nocte dieque, & tam diu affli-
 gunt, donec longo tædio fatigati in eo-
 rum voluntatem etiam Regulæ SS. Ca-
 nonibus & statutis sæpe difformem,
 condescendere debeant. Pro suo pla-
 cito, non data, sed quæ sita causa, à divi-
 nis suspendunt, infra alios degradant,
 ad

ad aliquot menses ordinaria portione
 privant, & pro excessibus regularibus,
 non sine periculo famæ & honoris, cu-
 stodiæ mancipant, aliaque similia, quæ
 singula recensere longum nimis, non
 attenta suorum Seniorum contradi-
 ctione & protestatione moliuntur.
 Numquid horum similiumque Præla-
 torum Monachi vivunt sub Regula S.
 Benedicti? nequaquam; sed illorum
 Regula est voluntas Præpositi, illisque
 commune est illud: *sic volo sic jubeo, stat
 pro ratione voluntas.*

De his S. Bernardus *tract. de mor. &
 offic. Episc. cap. 9.* Miror, inquit, quosdam
 in ordine Monasteriorum Abbates, hanc
 humilitatis Regulam, odiosa contentione
 infringere, & sub humili quod pejus est ha-
 bitu, tam superbe sapere, ut cum ne unum
 quidem verbulum de suis Imperijs subdi-
 tos prætergredi patiantur, ipsi proprijs o-
 bedire contemnant Episcopis. Ego addo
 H 3 Præla-

Pralatis. Et paulò post. Quid hoc est
 presumptionis, O Monachi! Numquid
 nim quia Pralati Monachis, ideo non Mo-
 nahi? Nempe Monachum facit professio
 Pralatum necessitas. Vt autem non præju-
 dicet necessitas professioni, accedat non suc-
 cedat pralatio Monachatu. Alioquin quo-
 modo illud implebitur: Principem te con-
 stituerunt, esto inter illos, tanquam unus
 ex illis, manens inter humiles superbus, in-
 ter subditos rebellis, immitis inter man-
 suetos? ut te putemus, tanquam unum ex
 illis, videamus, tam exhibere paratū, qui
 exigere obedientiam: videamus tam li-
 benter Præpositis obtemperare subjectum,
 quam imperare subjectis. Quod si semper
 vis obedientes habere, & nunquam esse,
 probas te non esse unum ex illis, dum unus
 esse rerum ex obedientibus: à quibus dum
 te superbiendo segregas, quorum aggrega-
 ris consortio, patenter advertimus: & si tu
 vel impudenter contemnis vel impudenter
 dissi-

disimulas, reputari profecto inter illos te noveris, de quibus scriptum est: alligant onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere. Quorum ergo tibi indignius consortium judicas, Delicatorum Magistrorum quos veritas increpat, an obedientium Monachorum, quos amicos suos commemorat? Ait siquidem, vos amici mei estis, si feceritis quae precipio vobis, vides igitur quale est jubere, quod ipse non feceris; aut nolle facere, quod docueris.

Et S. Petrus Damiani de fug. dignit. Eccles. opusc. 1. cap. 2. Vnum autem, inquit, quod in istis novellis Abbatibus video, quod vehementer admiror, qui enim per decem annos, vel eo amplius sub alterius regimine constitutus, nunquam ad hanc potuit pervenire scientiam, ut perfectè Monachus videretur: nunc ipso die quo in Prælatione constituitur, ita Præsidentis in-

duit speciem, ita dominantis exprimit ma-
 jestatem, ut non nuper electum, sed natum
 dicas Abbatem. Fit repente severus in vul-
 tu, imperiosus in voce, ad corripiendum
 acer, ad judicandum promptus. Ipse si of-
 fenderit, jam omnino satisfactionis igna-
 rus dedignatur accumbere, nisi in octogona
 sella, ita preparata, ac si senatoria curulis
 in curia. Pro sua voluntatis arbitrio hoc
 precipit fieri, illa contestatorie interdicit,
 ligat, solvit, admovent, removet, & in his
 omnibus nequaquam à nobis Senioribus
 Consilium quarit, sed sibi ipsi sufficiens, ve-
 lut propriae potestatis jura disponit. Devo-
 tis quidem & subditis pollicetur gratiam,
 repugnantibus autem Phalarica spirat a-
 nimadversione vindictam, ut potius vide-
 atur in perfectorijs fascibus agere, quam
 Ecclesiasticae humilitatis officio deservire.
 Nauseant fauces ejus communia nobiscum
 alimenta percipere, necesse est coquis, plura
 atq; diversa unicuique ventri edulia pre-
 para-

parare. Nam grossus cibus, qui ex communi fratrum lebete depromitur, indignum puita teneri, & delicatissimi hominis iudicatur. Nuper egressus dormitorium, quiescere non potest, nisi secretum habeat, & singulare cubiculum, licet juvenculus, licet validus corpore nescit incedere, si desit baculus, quo se debeat sustentare. In his itaq; & alijs pluribus, quæ persequi longum est, ita subito Magister efficitur, ut in tota præsidendi regula, velut antiquus quidam Pater nihil offendere videatur, quam doctè, quã imperiose, novit cuncta velut quadam Majestatis Auctoritate præcipere, qui divitissime subditus, numquam sapuit suis præceptoribus obedire.

Ex quibus tam incidenter quam ex proposito adductis apparet, quantam sollicitudinem, & curam, impendere debeant Prælati, Abbates aliq; Superiores in Capitulo Cōgregatione quid statuam, quod sacris Canonibus adver-

H 5

satur.

fatur, & fit supra, infra, vel contra Regulam, quantæq; se confutioni exponant, fit talia statuant, & postea à Sede Apostolica cassari debeant. Præsertim dum inter viginti, triginta, vel plures Prælatos in Capitulo comparentes, aliquando pauci sint, qui sacris Canonibus ex professo studuerint. Sed nec suis Religiosis, tam nobili & præclaræ scientiæ operam dandi, occasionem præbeant, in qua si Antecessores nostri se diligenter exercuissent, nunquam Monasteriorum jurisdictiones tantam jacturam passæ essent. Quod autem quidam arbitrentur, melius & salutarius esse Religioso, si sedeat in Angello cum libello, nec debeant Religiosi legere plures codices argumentū est, quod Eximius P. Romanus Haij, alijq; diu refutarunt, nec refutationem meretur, eo quod ignorantia & socordia occasionem præstet.

stet. Et certè si talia principia antehac
in Ordine nostro practicata fuissent,
nunquam Ecclesia Sanctos, Gregori-
um, Bedam, Damascenum, Ildophon-
sum, Anselmum, Petrum Damianum,
Rupertum, Lanfrancum, Bernardum,
aliosque præclarissimos Doctores, &
lumina habuisset, nec hodiedum tot
præclari & eximij viri in Universitati-
bus publice Theologiam, & Sacros
Canones docerent. Optime ergò sal-
vo meliori facerent Prælati, si dum Ca-
pitulum Generale vel Annale celebra-
re intendunt, unum aut alterum infig-
nem, non solum nomine, sed re Cano-
nistam accerferent, cujus, vel quorum
Consilio, nihil contra SS. Canones sta-
tuerent, Dominicanorum, Francisca-
norum, aliorumque Ordinum exem-
plo edocti, qui numquam talia Capitu-
la celebrant, quin præclaros Magistros
SS. Theol. Doctores & Lectores jubi-

latos, assistentes habeant. Videntur
 idipsum statuta Unionis Bursfeldensis
 cap. de Diffinitorum electione, & eo-
 rum Compræsidentibus, officio & au-
 thoritate innuere; dum præcipiunt
*Si questio aut causa proposita, brevi tracta-
 tu examinari & terminari posse præsum-
 tur, Præsidentes cum Diffinitoribus, cum
 oportuum viderint surgant, & seorsim
 diligenti inquisitione tractent, & termi-
 nent negotium, & diffinitionem suam scri-
 ptis commendatam, revertentes coram o-
 mnibus recitent. Possunt etiam ipsi Præs-
 dentes & Diffinitores, pro certiori & faci-
 liori cuiusq; rei determinationi, advocare,
 quos voluerint, & eorum uti Consilio. Et
 paulo infra: Insuper ad Præsidentes spe-
 ctat, expedire causas intra annum emer-
 gentes, quæ Capitulum futurum expectare
 nequeunt, quæ si arduæ fuerint ad earum
 determinationem, omnes cum Diffinitori-
 bus conveniant, & si aliqui eorum forsitan
 inter-*

interesse commode nequiverint, alij loco ipsorum substituantur. Determinatas autem causas scripto commendent, de eis in futuro Capitulationem reddituri. Per quæ omnia superius de officio Præsidentum, & in particulari Præsidentis principalis ex Consilio Lateranensi adducta, approbantur, ratificantur, & confirmantur.

ARTICVLVS VII.

An Capitulum succedens, præcedentis Capituli statuta, abrogare & interpretari, possit?

Humanæ naturæ instabilitas, & continuæ rerum vicissitudinis, sic aliquando circumstantias factarum antehac sanctarum ordinationum immutant, ut quod ante salutare & laudabile erat, successu temporis, vigorem & salubritatem amittat & immutari

H 7

debe-

debeat. Si proinde contingat, ea quæ in præcedentibus Capitulis ante plures vel paucos años, quoad ordinis Observantias, bene ordinata fuerant, injuria, temporũ sic alterari, ut eadẽ cassari & aliter ordinari expediat: Quæritur, an succedens Capitulũ Añale, vel Generale, illa cassandi, & aliter ordinandi potestatem habeat; videturq; quæstio hæc supervacanea, cum Capitulum succedens, ex Consilio Lateranensi, eandem authoritatem & jurisdictionem habeat, quam præcedentia. Quare pro resolutione hujus dubij. Sciendum est, quod vel statuta in prioribus Capitulis lata, sunt irrevocabilia, ut v.g. Decretum diffinitivum prolatum, à toto Capitulo adversus aliquem Monachũ, idque servato ordine juris: vel sunt revocabilia. Prioris generis statuta, juxta communioem Doctorum sententiam, non potest subsequens Capi-

Capitulum, etiam si eadem authoritate & jurisdictione gaudeat, revocare, ejusdemq; ratio esse potest, quod Capitulum, tanquam in tali causa Judex sit functū (ut supponitur) officio suo & sententia transierit in rem judicatam, nec ab illa appellationis vel aliud remedium suspensivum interpositum sit. Posterioris vero generis statuta Capitulum subsequens interveniente justa & rationabili causâ, revocare, cassare, & annullare potest, nisi approbatio & confirmatio summi Pontificis intervenierit.

Dixi *nisi summi Pontificis & c.* quia si talibus statutis accesserit authoritas Sedis Apostolicæ subsequens Capit. sine expresso consensu, & licentia dictæ Sedis, similia statuta revocare non poterit, quia statuta sic confirmata, non tam status Religiosi vel alicujus ordinis, sed potius ipsiusmet Summi Pontificis

ficis statuta censentur, inferior autem nullo prætextu, quæ à Superiore Ordinata sunt, annullare & revocare potest. Felin. *in cap. cum accessissent, num. 9. de Constit.* Fagnanus *ad idem c. num. 17.* Et hæc intelligenda sunt, quando Pontifex per modum decreti, mandati, seu constitutionis, authoritatem suam interposuit, & non tantum in vim privilegij: quia hujusmodi statuta; semper respiciunt bonum commune. Quare in præjudicium Religionis, Capitulum Generale, illa nullo modo abrogare potest, juxta *cap. si diligenti de for. compet.*

Confirmatio autem Summi Pontificis, duplex esse potest, substantialis & accidentalis. Substantialis & essentialis dicitur illa, quando Summus Pontifex, vult addere robur statutis, ut cum addit, *quæ omnia auctoritate Apostolica approbamus, & ab omnibus observari*

mandamus, decernentes, quidquid in con-
trarium factum fuerit, esse irritum & in-
ane. In tali enim casu, vult illa nomine
suo subsistere, nec potest Capitulum
Generale, vel Annale, leges & statuta
propria, hoc modo confirmata abro-
gare, quia censentur quasi ab ipso Sum-
mo Pontifice lata, & aliorum potestati
quantum ad annulationem, non am-
plius subiecta. Alia est confirmatio ac-
cidentalis, ut cum Pontifex declarat,
statuta à Capitulo facta esse laudabi-
lia, & à subditis ac religiosis observan-
da, nec speciale illis robur, & obliga-
tionem superaddere intendit. Et talia
statuta subsequens Capitulum, si pro
bono disciplinæ Regularis ita expedi-
at, reformare, & annullare potest, aliaq;
pro loco, tempore, alijsq; occurrenti-
bus circumstantijs, statuere. Inter-
pretationem statutorum quod attinet,
illa vel est judicialis, vel doctrinalis. Ju-
dicia

dicialis vel juridica est, quæ competit illi soli, qui condit statuta; ejus est enim interpretari, cujus est condere *Gloss. ad cap. cum venissent.*

Quare si statuta Ordinis, sint à Summo Pontifice substantialiter (juxta ea quæ supradicta sunt) confirmata, eorum interpretatio, non erit penes Capitulum Generale, vel Annale, sed solum Pontificem, eo quod censeatur Pontifex, per talem confirmationem fecisse sua. Quod si tantum sint accidentaliter confirmata, vel clara, potest non solum Capitulum, sed etiam alius eorum interpretationem facere. *Ita gloss. citata: Sed numquid incidenter potest alius cognoscere quam Papa? Videtur quod sic & paulo post inspiciendo privilegium, si verba sunt manifesta, Iudex potest dicere non obstat privilegium. Et infra. Dicas, quod hoc habet locum, quando verba obscura sunt, & ambigua, quia tunc ejus*

est interpretari, cujus est condere: ubi vero aperta sunt & clara, potest iudex dicere, obstat privilegium, vel non obstat argumentum decretalis. Interpretatio autem doctrinalis, est illa, quam faciunt Doctores, & illa nullam obligationem importat nec legislatorum juri præjudicat.

Igitur statuta à Summo Pontifice, vel Concilio Generali, autoritate Pontificia confirmata, per Capitulum Generale vel annale cassari vel immutari nequeunt. Sed quid si talia statuta essent à Concilio Basiliensi confirmata? numquid idem robur habebunt, quam habeant ab alijs Concilijs confirmata? qui sentiunt dictum Concilium fuisse legitimum & æcumenicum, affirmativè indubie respondebunt, qui verò contrarium putant & negativè resolvent. Pro hujus ergo dubij resolutione, ex decisione rotali coram Cocino

cino

cino Decano; Trevirensis Abbatia S. Maximi Veneris 24, Januarij 1625.

Sciendum est Concilium Basiliense, in principio autoritate Summi Pontificis indictum, & œcumenicum fuisse, præseditque in illo nomine sanctitatis, Julius Cardinalis Cæsari- nus, cujus autoritate aliquamdiu, & eouſque fuit continuatum, donec illicita potestate usurpata, & in Pontificem Romanum omni Judicio & subjectioni coactivæ, jure divino exemptum, Judicium suum ipsi converterent, & Pontifex legatum suum omnesque alios Episcopos avocaret. Quando vero post illorum discessum, Synodus sub præsidio Cardinalis Arelatensis continuata, invitoque Pontifice prorogata est, non tantum œcumenica sed & legitima Synodus esse desijt. Nam eo tempore, quo Concilium in Pontificem sententiam pronunciare ausum est,

est, omnes præcipue Episcopi disces-
serant, & Cardinalis Arelatensis, præ-
sidentis sibi munus assumpserat, & quia
Episcopi paucissimi erant, introduce-
runt in Synodum ingentem Presbyte-
rorum multitudinem, ut contra for-
mam omnium Conciliorum, non Epi-
scoporum sed Presbyterorum Syno-
dus esset. Et Deus Optimus Maximus
sententiam suam dicere volens, tam
horribili peste Basileam affligebat, ut
major pars eorum, qui remanserant in
conciliabulo, vel extincti vel recedere
coacti sint. Ita refert Æneas Silvius
in hist. concil. Basel. cui ipse interfuit,
quod Concilium, in Concilio Latera-
nensi ultimo sub *Iulio 11. sess. 4. sub Leo-
ne X. sess. 11. appellatur Schismaticum, se-
ditiosum, & nullius prorsus authoritatis.*
Falsumque ea propter est, quod Nico-
laus V. decreta dicti Concilij appro-
baverit, & confirmaverit, licet quoad
infer-

infectum punctum electionis acceptatum sit, quia id pro pace Germanorum, placuit Pontificibus subsequentibus acceptare, illisque robur, quod alias non habebant auctoritate Apostolica superaddere. Hæc Rotalis decisio, ex qua elucet, statuta in Concilio Basiliensi approbata, nullam ex hoc obtinere auctoritatem, vel roboris firmitatem, tantumque subsistere & valere, quantum Sacris Canonibus conformia & non adversantiâ sunt.

ARTICVLVS VIII.

An, quos, et quomodo SS. Canones obligent?

ANtequam ad decisionem hujus quæstionis procedatur, prius quid nomine sacrorum Canonum intelligatur inquirendum est. Et quidem Prosper Fagnanus *ad cap. Canonum* statu-

statuta X. i. de constit. post recensitas varias explicationes verbi Canonum à n. 1. usq. ad 20. tandem num. 21. caterum in quod Canonis nomine frequentius usurpantur, illæ tantum constitutiones quæ in corpore juris sunt clause ut cap. si Romano-ciliorum 19. distinct. Vnde Bulla, motus proprii, Brevia, Regule Cancellaria, decreta consistorialia & alia hujusmodi, quæ eduntur à Summis Pontificibus, sine Concilio, & sunt extra Corpus juris, non consueverunt Canones appellari. Et propterea Gregorius XIII. in constitutione, quæ incipit: cum pro munere: edita 1. die Julij 1580. sub Corpore juris Canonici complectitur tantum Decretum Gratiani, una cum Decretalibus Gregorij IX. in hac compilatione insertis. Librum sexti, Clementinas, & Extravagantes, sed & Franciscus Bortinus Doctor antiquus, relatus hic per Joan. Andr. num. 1. dicebat, post tractatū fidei positam fuisse hanc constitutionem,

tionem, qua ostendit observandas constitutiones infra scribendas: & ita intellexit verba illa, Canonum statuta pro constitutionibus clausis in Corpore juris. prout intellexit Tridentina Synodus in cap. 20. Sess. 25. de reform. cum distinxit Sacrosancti Concilii Canones à Concilijs Generalibus & alijs constitutionibus Apostolicis. Unde etiam in confirmationibus privilegiorum, & statutorum, quæ hodie à Sede Apostolica conceduntur, in forma communi consuevit apponi, hæc clausula dummodo tamen Sacris Canonibus, Concilij Tridentini decretis, & constitutionibus Apostolicis, non sint contrarii. Canonibus id est redactis in Corpus juris.

Nomine etiam Canonum veniunt declarationes à Summo Pontifice editæ, & faciunt jus quoad omnes c. 1. de bigam. lib. 6. cap. 1. de privileg. eod. lib. d. cap. fin. Decretum autem Gratiani non venit

venit Canonum appellatione. Ita Joan^o
 Andr. *in cap. 2. num. 24. de rescript.* se-
 quuntur *Abbas n. 9. Petrus de Anch. in*
rejeet. hujus cap. num. 48. & comuniter
 Doctores. Quia generaliter aliam au-
 thoritatem non habent, quam ipsa de-
 creta & decretales. Et in tantum cen-
 sentur Canonizatae, in quantum à Pon-
 tifice decretalibus inseruntur. Ob
 eandem causam nec Rubricæ decreti,
 nec Paleæ Canonum nomine veniunt,
 Fagn. *loc. cit. à num. 40. usq; 45.* Qui-
 bus præsuppositis, ad primam quæstio-
 nis partem, an scilicet Canones obli-
 gent, respondetur affirmativè. Patet ex
Concilio Meldensi cap. 34. alias 10. sub Ser-
gio II. ab Episcopis Gallie Meldis inchoato
anno 845. & anno sequenti Parisiis abso-
luto, cujus decreta Sedes Apostolica
 confirmavit, ut fatetur in sua præfatio-
 ne Benedictus Levita, & patet ex in-
 scriptione quæ habetur post præfatio-
 nem

nem Concilij teste *Fagnano pag. 346*
 Eius formalia sunt. *Canonum statuta con-*
stodiantur ab omnibus. Et nemo in actio-
nibus, vel judicijs Ecclesiasticis, suo sensu
sed eorū auctoritate ducatur. Ex quibus
 patet Canones omnes esse in præcepto
 ut colligitur ex verbo imperativo *con-*
stodiantur, nam quod imperatur præcipi-
tur, & quod præcipitur imperatur, c. quis
quis præceptis 14. q. 1. Et c. in his de verb.
signif. ut hic per Ægid. Bellam in secundo
notab. anchor. n. 19. Fagn. 47. & 84. unde
 Canones non obligant tantū ad pœnā
 sed etiam ad culpam. Cum hac tamen
 distinctione, quia vel aliquis primo a-
 git contra Canones ex contemptu,
 credens Ecclesiam non habere illo-
 rum condendorum potestatem, & pu-
 nietur, ut hæreticus *c. nulli fas 19. dist.*
& melius in cap. 1. 22. distinet. vel secun-
 do aliquis venit contra Canones præ-
 cipientes vel prohibentes, quia non
 curat

curat se legi subicere, & tunc est propriè contemptus & inobedientia, & peccatum mortale, talisque vocatur transgressor & punitur pœna depositionis, dummodo juxta Collector & Bellam, monitio præcesserit, *c. dudum 2. de Elect. & S. ult. 4. dist.* vel tertio quis venit contra Canones ex infirmitate, negligentia, vel alia passione, & non est transgressio vel peccatum mortale, nisi Canones ipsi aliunde obligationem gravem importent. Ita post *DD. Thomam Archid. in c. quicumq; 81. dist. Abbas hic n. 9. quos l. c. citat & sequitur Fagnanus.* His adde ex *compost. hic num. 1. quod qui Canones non habet, redarguendus est de neglectu. Qui habet & non servat, de temeritate increpandus est. c. si decreta 20. dist. Qui vero in contemptum Ecclesiæ, non servat Canones, hæreticus censendus est. c. de libellis ead. distinct.* Quorum omnium funda-

mentalis ratio est, quod Summus Pontifex, sit Vicarius Christi, totius & Universalis Ecclesiae Pastor, omniumque indubitatus & legitimus Superior, ad eoque potestatem habeat, leges ferendi, & subditos ad eas obligandi.

Quantis proinde in periculis versentur, qui licet sciant, & sepius sufficienter praemoniti sunt, se in gravissimas SS. Canonum poenas, excommunicationem majorem, & in illa persistendo nec absolutionem curando, irregularitatem à solo Summo Pontifice tollendam incidisse, sine ullo scrupulo conscientiae audent quotidie divina celebrare, & ad Altaria accedere, peccata peccatis, & sacrilegia sacrilegijs cumulare, prudens & conscientiosus Lector consideret. Quasi vero per ipsorum temeritatem & contemptum, & quia homines nullius conscientiae, nullo sacro Canone vel lege, sed propria

pria sua voluntate ductos, sibi assistentes habent, tollatur Vicario Christi potestas per Canones se obligandi, & illi per talem vilipensionem suum vigorem omittant, etiam in locis ubi tales hactenus observari consueverunt & debuerunt, nec per contrarium consuetudinem abrogati sunt, vel abrogari potuerunt.

Ad secundam, questionis partem patet responsio ex textu & verbo *omnibus*, *custodiantur* inquit *ab omnibus* ad quæ *Fagnan. d. c. n. 55. nota* inquit *principalem Regulam hujus textus videlicet constitutiones Canonice ligare omnem creaturam. Concordat cap. si quis omnem i. q. 7. c. Romanorum 19. dist. & c. fin. inf. eod. Et quamvis glossa exponat verb. omnibus scil. subditis, tamen ut inquit Innoc. hic num. 1. hæc non est bona glossa, quia Conditori Canonum, & Vicario Creatoris, omnis creatura subiecta est. Et hoc dictum*

dictum Innocentij quotidie à Docto-
 ribus allegatur & probatur, ut per
 Abb. hic num. 2. potest ait allegari textum
 Evangelij, fiat unum Ovile & unus Pa-
 stor: neminem Christus excipit ab hoc ovile
 & à subjectione unici Pastoris. Et vide
 pulchre per Innoc. in cap. quod super
 his de voto, ubi ponit illam authorita-
 tem, quodcumq; ligaveris, & optime fa-
 cit illa autoritas ad propositum, nihil
 excipit; Quodcumq;. Et licet Hostien-
 sentiat cum glossa textum Canonis, &
 verbū omnibus ad solos subditos se ex-
 tendere, & excludi excludendos, sen-
 tiantque paganos & infideles, qui in Spi-
 ritualibus non sunt subiecti, sed tan-
 tum in temporalibus, nec possit alius
 quis quam subditis legem imponere;
 tenendum tamen est, cum Innocentio
 cap. quod super his n. 3. de voto, quem hic
 num. 64. & consequentibus citat & se-
 quitur Fagnan. Credimus (inquit Inno-
 cent.)

cent) imo scimus secundum Host. & Ioan. Andr. quod Papa, qui est Vicarius Christi, potestatem habeat, non tantum super Christianos, sed etiam super infideles. Etenim cum Christus plenam receperit potestatem, unde in psalmo: Deus Iudicium tuum Regi da: non videtur diligens Pater familias, nisi Vicario, quem in terra dimittebat, plenam potestatem super omnes dimisisset. Item Petro & successoribus ejus, dedit claves Regni caelorum, & dixit, quodcumq; ligaveris. Item alibi, pasce Oves meas. Omnes autem tam fideles quam infideles Oves, sunt Christi per creationem, licet non sint de ovili Ecclesiae, & sic per praedicta apparet, quod Papa super omnes habeat jurisdictionem & potestatem de jure, non de facto. Quare gentilis, qui non habet legem nisi naturæ, si contra illam peccet v.g. per Sodomiam, cultum Idolorum, aliaque similia crimina, non est dubium, quin à Vicario Christi, cui omnes

mnes animæ, tanquam oves commissa
 sunt, puniri possit. Sic Gregorius & In-
 nocentius mandaverunt comburi Ju-
 deorum librum *Thalmud*, continentem
 multas hæreses, jusseruntque puniri il-
 los, qui dictas hæreses sequerentur &
 docerent. Idemq; Innocentius infra
*Et licet aliquando Papa omittat pœnas ju-
 stas & debitas, omnibus prædictis inferen-
 das, est, quia vel facultatem non habet
 (scilicet de facto) vel propter pericula &
 scandala, quæ inde obveniunt, vel evenire
 timerentur; potestas tamen faciendi est
 apud eum.*

Sed his diutius immorari superva-
 caneum judico, cum præsentis propo-
 siti tantum sit, demonstrare, quanta sit
 obligatio observationis sacrorum Ca-
 nonum, apud Catholicos & fideles, &
 maximè apud personas Ecclesiasticas
 & Religiosas, quæ speciali modo in
 professione fidei, ad sacrorum Ca-
 nonum

nonum receptionem & observantiam se obligant.

Ad tertiam quæstionis partem, patet solutio, ex responsione, ad primam partem quæstionis, ubi responsum SS. Canones obligare omnes, ad culpam etiam mortalem, in materia tamen singulari applicabili. Quare in his SS. Canonibus, & Pontificijs constitutionibus, minimè attendi debent futilia aliquorum argumenta, quibus earum vim & obligationem eludere conantur.

Primo, quod tales SS. Canones & Pontificiæ constitutiones, non sunt in partibus publicatæ.

Secundo, quod non sint receptæ.

Tertio quod usus sit in contrariū, & longitudine temporis contra eas præscriptum sit. Contra enim est, quod ex constitutionibus Pontificijs, & praxi Romanæ Curia, sufficiat publicatio facta Romæ, ad Valvas Basilicæ Prin-

cipis Apostolorum, Cancellariæ Apo-
 stolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in
 alijs locis solitis & consuetis urbis. Quæ
 publicatione de mandato Pontifici
 facta, etiamsi in singulis provincijs non
 sint publicatæ, vim obtinent & au-
 thoritatem, habenturque pro effectua-
 ris, & usu receptis, & obligant inferio-
 res ad eorum acceptationem & invio-
 latam observationem. Cum enim
 summus Pontifex, sit supra omnes leges,
 adsitque illius indubitata potestas,
 Christo Domino concessa, & obligan-
 di voluntas, publicatione Provinciali
 non tenetur, adeoque illius leges, Canones
 & constitutiones quoscumque, & ubique
 obligant, nec possunt per non usum,
 contrariam & longissimi temporis eti-
 am mille annorum consuetudinem,
 abrogari. Unde Generalis Regula est,
 quod *contra SS. Canones, decreta Conci-
 lij Tridentini & constitutiones Pontificias,*

non

non possit opponi, non usus, non receptio, prescriptio, aut immemorialis etiam contraria consuetudo. Et huc collimant clausulæ irritantes constitutionibus Pontificijs, & Bullis Apostolicis insertæ. Non obstantibus quibuscumq; consuetudinibus, etiam immemorialibus &c. quarum tanta vis est & potestas, ut enervet, evertat, destruat, quascumq; consuetudines contrarias, jam introduci cœptas, omnesque actus talibus constitutionibus adversantes. Prosper Fagnanus *de Treuga & pace, cap. treugas num. 51.* hæc in summo Pontifice tam certa judicat, ut secundum fidem negari non possint, sæpiusque decisum est *in rota apud Cataquens. decis. 204. num. 1. & 2. part. 3. decis. 197. num. 3. & 4. Decis. 213. num. 2.* Item in *una Trevirens. Abbat. S. Maxim. die 24. Januarij 1625.* quam quoad clausulas concernentes, articulo sequenti adducam. Vid. Dia-

nam, Zypæum Suarez & alios, que
 citat & sequitur Fagnanus. Et hæc pro
 refutatione insolentium, & superbo
 rum ingeniorum, SS. Canonum vim
 & obligationem enervare conantium
 paucis remonstrata sint, ut videant
 populi, & subditorum acceptatione
 consensu, vim obligandi, SS. Canonibus
 & constitutionibus Apostolicis, in
 esse. Quia vero consuetudo in sacris
 Canonibus fundata, si rationabilis sit,
 efficaciam habet tollendi obligatio-
 nem legis, hinc, pro majori hujus ma-
 teriæ dilucidatione fit.

ARTICVLVS IX.

*An consuetudo sacris Canonibus
 contraria, eorum vim & obligatio-
 nem tollat?*

Illis, qui se sentiunt sacrorum Cano-
 num authoritate constringi, nihil
 tam

tam familiare est, quam ut conscientijs suis quoddam levamen & solatium faciant, asserendo SS. Canones, quibus sub gravibus pœnis alias obligarentur, contraria consuetudine abrogatos esse. An vero talis prætextus & allegatio, eos in conscientia securos reddat, patebit ex sequentibus. Certe ad inducendum consuetudinem contra Canones multa requiri, patet ex *decisione rotali in una S. Maxim. Treviren. Abbatia coram Decano Coccino 24. Januarij 1625.* quam ea propter quoad clausulas concernentes hic inserere volui.

Secundo fuit principaliter responsum, quod ad inducendam consuetudinem contra Canones, requiritur scientia, & expressus consensus Papæ, alias nunquam per contrariam consuetudinem lex abrogatur. Quia summus Pontifex non habet potestatem à populo, sed immediatè à Deo; & ideo

non est populus, qui inducit consuetudinem, contra sacros Canones, sed auctoritas Papæ permittentis. Abb. *in c. fin. n. 8. in fin. de consuet.* Salas *de Legib. q. 97. tract. 14. disp. 19. sect. 6. num. 59. vers. Hac sententia.* Quod in lege civili secus est: nam lex civilis tendit ad bonum publicum, & utilitatem privatorum: unde si populus vult sibi præjudicium inferre, Principes ab eodem populo potestatem habentes non curant, L. *De quibus. vers. Nam cum ipse, ff. de leg. S. Thom. 1. 2. q. 47. art. 3. in resp. ad 3.* Abb. *in c. fin. n. 9. de consuet.* Driedon. *de libert. Christ. c. 11. ante fin.* Jus autem Canonicum, principaliter intendit hominem in Deum dirigere, & venit ad bonum publicum Ecclesiasticum, & cum sit institutum à potestate spirituali, illa non potest in Laicos cadere. Abb. & Driedon *locis præcitat.* Hinc ergo cum consensus Papæ
 opere.

operetur ad istam consuetudinem inducendam, requiritur illius certa scientia, ita ut non sufficiat error, ut dictum est, & simul requiritur animus inducendi consuetudinem gloss. *in d. c. fin. in verbo legitime*, ubi Abb. n. 17. & facit text. *in lege 1. c. Que sit long. consuet.* Quare si consensus Papæ est ille, qui consuetudinem inducit, & etiam ad hunc effectum requiritur certa scientia, & voluntas inducendi consuetudinem, non potest deduci voluntas, nisi expressus consensus ad sit; multa enim per patientiam tolerantur, quæ deducta in iudicio, exigente iustitia toleranda non essent, ut dicit text. *in cap. Cum jam dudum 18. in fin. de preb.* quem in puncto allegat Gloss. in §. *leges in verb. Abrogatæ distinct. 4.* & ex istis rationib. convincitur Vasq. *q. 2. artic. 97. disp. 177. c. 12.* dum dicit, nihil referre, quod Papa recipiat potestatem à Deo,

à Deo,

à Deo, & non à populo, ut consensus
 ejus tacitus, non possit operari, ad de
 rogandum suæ legi: ut enim ex præ
 dictis apparet multum refert, quod
 Papa immediate potestatem habeat à
 Deo. In hoc autem casu, nedum non
 adest expressus consensus summorum
 Pontificum; sed nec etiam scientia ut
 in tertia responsione ostendemus.

Et quod requiratur nedum scientia,
 sed etiam expressus Papæ consensus ad
 inducendam consuetudinem contra
 Canones, etiam quantocumque tem-
 poris spatium illa fuerit servata; tenent
 Gloss. in d. §. *leges in verbo Abrogat. dis-*
tinct. 4. Archid. in c. *cum de Benefic. n. 2.*
circa. med. vers. Nam & ibi notat de præb.
in 6. ubi optimè dicit, casum esse ex-
 pressum in cap. *consequens.* Et in c. *No-*
lite. 11. distinct. c. facta. 9. q. 3. & c. illud.
& c. ridiculum 12. distinct. Joan. Andr.
 in d. cap. *cum. de Beneficio post princ. Ge-*
 min.

min. n. 6. Franch. n. 3. & 4. Antonin.
in Sum. part. 1. tit. 16. unic. §. 2. ante fin.
vers. Dicit autem Iohannes. Joan. de Salas
de legib. q. 97. tract. 14. disp. 19. n. 62. in
fin. quam sententiam sequuta fuit Ro-
ta in Romanae observationis contractus 23.
Octob. 1551. coram Chiffanen. relata
apud Veral. decis. 204. n. 3. part 3. & in
Romana concordia S. Petri 12. Februarij
1610. coram Reverendiss. D. meo Ca-
valerio, nunc S. D. N. Darario, quæ
eo magis de plano procedunt, cum
cap. Quia propier, habeat decretum ir-
ritans, ut considerant Archid. Joann.
Andr. Gemmin & Franch. locis prædi-
ctis, cui sententiæ consonat etiam di-
ctum Goffr. & Innoc. in cap. Ad nostram
in princ. de probat. ubi lex, quæ est con-
tra jus commune, non debet servari,
cum non sit inducta de certa scientia
ejus, cujus est condere, & mutare le-
gem. l. de quibus ff. de legib.

Tertio

Tertio principaliter etiam fuit responsum, quod communis & indubitata conclusio est, legem Papæ non posse abrogari, saltem absque illius scientia, ut egregie probat Driedon. *de libert. Christ. d. lib. 1. cap. 2. in fin.* Valquez ad S. Thomam 1. 2. q. 97. & hanc opinionem ab omnib. teneri affirmat Petrus de Lorca *ad 1. 2. S. Thom. in tit. de legib. disp. 29. in princ.* & late fuit deductum *in d. causa Romana concordie S. Petri.* Quæ scientia, ex qua arguitur consensus hic non adest, sed error qui non sufficit ad inducendum consuetudinem, ut supra est dictum. Scientia enim summorum Pontificum, quæ deducitur ex confirmationibus, non adest cum electiones nullas confirmaverit, absq; certa scientia. Bart. *in l. si constet. 12. num. 2. ff. de appellat.* ubi quod per confirmationem, non confirmatur electio invalida, ni fieret ex certa scientia.

scientia. Bald. *in l. Nominaciones, 27. n. 2. vers. Iudic. c. de appellat.* ubi quod confirmatio Superioris, non purgat vitium electionis, nisi Princeps confirmet ex plenitudine potestatis. Et loquitur in terminis electionis, in qua non fuit servata forma cap. *quia propter Franc. Marc. dec. 227. n. 5. & 6. part. 1. Innoc. in cap. cum dilecti 32. n. 1. de elect. Alex. cons. 58. n. 8. lib. 1.* Ubi quod nec certa scientia præsumitur, nisi probetur. In proposito autem, sive dicamus verba confirmationum, de per se importare, quod Papa ex certa scientia confirmaverit, sive non; nihilominus, utcunq̄ue sit; veritas est, quod cum summi Pontifices confirmaverint electiones, tanquam Canonicas & verè non sint tales, cum illis non fuerit insertus tenor; præsumuntur circumventi ab ijs, quibus electiones examinandas mandarunt, Felin. *in c. cum à nobis, n. 3. de test.*
Ruin.

Ruin. *cons. 41. n. 15. vers. secundo, respondendum lib. Gabr. Conc. l. 1 n. 42. & sequens de probat.* Hucusq; decisio rotalis.

Frustra ergo sacrorum Canonũ contemptores, allegant contrariam consuetudinem, quæ nisi sit inducta, cum certa scientia & expresso consensu summi Pontificis, non consuetudinis sed corruptelæ vim habet, nec sequentes à gravi peccato liberat, si Canon consuetudini contrarius, gravem obligationem post se trahebat. Adde quod allegans consuetudinem, quæ facti & à lege exorbitans est, non solum illam probare teneatur, sed etiam simul demonstrare, quod ea sciente, consentiente, & non contradicente Pontifice, inducta sit.

Sed & ex adducta decisione rotali manifestum est, non probari scientiam summorum Pontificum, cum electiones nullas confirmaverit, nisi id ex cer-

ta scientia fecerit, sciveritq; electionis nullitatem, & substantiales defectus & nihilominus autoritate absoluta, qua est supra Canones, ob causas rationabiles sibi notas, confirmaverit. Quod nisi fecerit, per confirmationem, non confirmatur electio invalida, nec confirmatio Superioris, purgat vitium electionis, nisi Princeps confirmet, ex plenitudine potestatis. Quare si Pontifex confirmet electiones tanquam Canonicas, quæ verè tales non erant, presumitur circumventus ab illis, quibus electiones examinandas commiserat, & confirmatio nihil operatur, cum quod firmum non est, confirmari non possit. Quæ si vera sint, de confirmatione summi Pontificis, quanto magis de confirmationibus Ordinariorum, & Episcoporum, qui sacris Canonibus alligantur, & defectus electionum sanare non possunt. Unde si Ordinarius

con-

confirmet electionem de jure nullam fuerit
 talis confirmatio nullius est roboris prob
 nec per illam confirmatus, quicquam dem
 juris acquirit, maxime si ambitione se ip
 ductus, per falsa narrata eandem sub gat
 & obreptitiè impetret. fuer

Gravius & intolerabilius, si electio sum
 ab aliquo impugnata fuit, & à senten- cto
 tia contra se lata, impugnans stante pe firm
 de, & viva voce, in Judicio, per Procuro cap.
 ratorem ad sedem Apostolicam appel- Can
 layerit, Ordinarius Electionem confir- elec
 mare præsumat. Talis enim confirma- lica
 tio, absolute nulla est, & Electo nullum &
 jus tribuit, imo si vigore illius, admini- int
 strationi se ingerere audeat, perdit elec
 omne jus quæsitum ex electione, cum ut
 confirmatus non sit, nec stante appel- lit
 latione confirmari potuerit. no

Et super hoc est textus clarissimus lea
 cap. 33. de Elect. in 6. ubi Pontifex ist
 Bonifacius VIII. *Si postquam ab Elect. in* na
Cathedrali vel regulari Ecclesia celebrata-

l
o
u
e
f
s
u
b
e
t
i
o
n
e
p
e
o
c
u
p
e
l
n
f
i
r
m
a
l
u
m
i
n
i
t
o
r
u
m
o
c
l
u
s
B
o
n
i
n
a
t
a

fuerit in scriptis ex causa probabili, quæ probata deberet legitima reputari, ad Sedem Apostolicam appellatum, electionem ipsam per Ordinariam confirmari contingat; huiusmodi confirmatio, nisi prius, fuerit Canonice ab appellatione ipsa recessum (cum sit ab eo, qui non potuit, de facto presumpta) nullam obtinebit roboris firmitatem. Et longè clarius Glossa ad d. cap. Vacante inquit, Ecclesia Pietauiens. Canonici quondam Titium elegerunt, à qua electione fuit appellatum ad sedem Apostolicam, quia forte unus erat contradicens, & talis solemniter appellavit, appellatione interposita, dicti Canonici eligentes, ipsam electionem presentarunt Metropolitanano, ut ipsam confirmaret, quod fecit Metropolitanus, ad requestam aliorum Canonicoꝝ, non curando de appellatione istius. An valeat talis confirmatio, & Electus virtute istius confirmationis, receperit potestatem administrandi? Resp. Romanus Pontifex quod

quod non; nam ex quo fuit appellatum non,
 Apostolicam Sedem, suspensa fuit jurisdic- sub
 Etio judicis inferioris, ideo non potuit, etio a
 Metropolitanus confirmare, & per con- non
 quens, si iste Electus se ingerat administ- vel
 tioni, perdit jus sibi quesitum ex electione vel
 cum non videatur confirmatus. teir

Ex quibus tam textu Canonis quam ren
 glossa patet. lam

1. Quod Ordinarius, & quis cum 3
 inferior Papa, Patriarcha, Archiep- dic
 scopus, aut Metropolitanus, stante ap- 2
 pellatione, ab electione, illam confir- lite
 mare non possit, idque ex natura ap- in r
 pellationis, quæ ligat judici à quo ma- qui
 nus, & potestatem ultra procedendi
 tollit, nisi si q

2. Prius fuerit NB. Canonice ab ap- eto
 pellatione recessum. Igitur, nisi præcedat
 renuntiatio, confirmatio, est nulla, & Ex
 manebit nulla eo quod data sit, quan- ex
 do dari non potuit; & tractu temporis ele
 non

non firmetur, quod ab initio de jure non
 subsistit. Debet etiam talis renuncia-
 tio appellationis, *canonicè*, id est liberè,
 non coactè, cum intentatione minarū,
 vel quod majus est, inflictione carceris,
 vel inclusionis, adeoq; ex metu caden-
 te in constantem virum fieri, talis enim
 renunciatio, est ipso jure nulla, nec ul-
 lam obligationem inducit.

3. Quod unus solus possit contra-
 dicere, & opponere electioni.

4. Quod Electus, vigore taliter nul-
 liter factæ confirmationis, nullum jus
 in re, vel potestatem administrandi ac-
 quirat, imo

5. Si se administrationi ingerat, jus
 si quod ex electione quæsierat, ipso fa-
 cto perdat, & amittat.

Similis casus est, si confirmator in
 Examine electionis, audit Electum, &
 examinat Instrumentum & processum
 electionis, & vel studio vel timore op-

K

posi-

positionem metuens omittit citare co-posit
 electum, ac procedit ad confirmatio-erian
 nem. Talis enim confirmatio est ipso-rit,
 jure nulla, per textum, *Quoniam* 47. E
 de Elect. in 6. ubi Pontifex. *Quoniam* pare
 inquit, *electione non in concordia celebra-ctior*
ta, Superior, ad quem electionis ipsius con-mat
firmatio pertinet, consuevit interdum, obli
sua confirmationis celeritate, preferens cu- cont
piditatem propriam juri, & inordinatum an a
affectum etiam equitati, competitorem esse
aliquando, ubi alius, vel eos, qui se volunt quis
opponere, quando, Electus est unicus supplā- giti
tare, dum nullis vocatis, & non discussio ne- inat
gotio, per repentinam confirmationem cito- dus
(contra doctrinam Apostoli) imponit ma- ubi
nus Electo: Nos volentes huic morbo & dio
fraudibus obviare, presenti constitutione opp
sancimus, confirmationes tales, viribus sta
omnino carere, ipsasq; decernimus irritas scie
& inanes. Vocationem autem hujusmodi, nit
nominatim ubi est coelectus vel apparet op- bus
 positor

positor &c. faciendam censemus. *Quæ
etiam, si electio in concordia celebrata fue-
rit, volumus observari.*

Ex qua constitutione Pontificia ap-
paret, Examinatorem processus Ele-
ctionis, sive is fuerit ipse D. Confir-
mator, sive ab ipso ad hoc deputatus,
obligari sub pœna nullitatis ipsius
confirmationis, diligenter inquirere,
an aliquis sit coelectus, sicut ordinarie
esse solet: vix enim in electionibus,
quis concorditer omnium votis eligi-
gitur. Ne ergo confirmatio sit irrita &
inanis, necessario citandus & vocan-
dus est Coelectus nominatim in loco
ubi est, & commoratur. Quod si stu-
dio acceleretur confirmatio, ne quis
opponere possit, coelecto longe di-
stante, nec de acceleratione quidquã
sciente, talem confirmationem decer-
nit Pontifex non *irritandam*, sed *viribus
omnino carere, esseq; irritam & ina-*
nem.

nem, nec per eam quidquam juris acquiri Electo, præsertim si ipse acceleraverit negotium, de oppositione meruens. Quare si is vigore talis confirmationis se administrationi ingerit incidit in pœnam cap. *Avaritie*, perditque jus ex Electione questitum, ita glossa ad cap. *Quoniam* §. *Inanes*. ibi sed si erravit in jure, eum à dicta pœna non credere excusari.

Plures similes casus, hic adduci possent, si materia hæc non incidenter solum, sed ex proposito tractaretur. Quid autem ad hæc replicabunt, qui stante appellatione ad Sedem Apostolicam, nulliter confirmati, se audent administrationi ingerere, & ne appellatio suum effectum consequatur, appellantem ob interpositam appellationem ad aliquot annos non justitia sed diabolo suadente in carcere & custodia detinere? & stante tali ipso facto post

se excommunicationem trahente violentia, audēt quotidie divinis interesse, sacra celebrare, & quasi nullius sibi cōscij essent omnia peragere? quis credat tales homines scintillā conscientiz habere, qui tam temerè & sine ullo scrupulo, tam claros, nulli obscuritati obnoxios SS. Canones ludibrio habent, vilipendunt, imo diametraliter contrarium agunt? Putant fortè tales, trienniali possessione se tueri sed contra est, quod *mala fidei possessor nullo tempore prescribat Reg. juris in 6.* nec credendum est sumū Pontificem per Regulam Cancellariæ de trienniali possessione, velle favere peccantibus, & ad dignitates ac beneficia, non intrantibus per ostium, id est Canonicam Institutionem, sed ascendentibus aliunde ut fures & latrones. Accedit, quod clausulæ irritantes supra allegatis Canonibus, & alijs similibus insertæ,

K 3

omni

omni prætextui & futilibus excusationibus inamovibilem & inextricabilem remoram objiciunt, dum in principio titulum, possessionem & omnia similia, evertunt; hinc in supra allegato cap. *Si postquam*: confirmatio nullam obtinebit roboris firmitatem. Et glossa *Si iste Electus se ingerat administrationi, perdit jus sibi quesitum ex electione*. Et in cap. *Quoniam*: confirmationes tales decernimus irritas & inanes quod si tales confirmationes nullam obtineant roboris firmitatem, sint irritæ & inanes, quomodo per illas aliquid quod jus, quod jam perditum & destructum est, acquiri poterit? maxime ubi scit ipse malæ fidei possessor, se nullum jus habere, & si quod habuit, amisit se? & tales clausulæ irritantes, sint tam malignantis naturæ, ut in puncto destruant id, in quod cadunt?

ARTICVLVS X.

An Iudex et Superior Ecclesiasticus, vel Regularis, in ferenda sententia, suam privatam scientiam sequi possit: an vero illi, quam habet ex allegatis & probatis, se conformare debeat?

Nihil periculosius est, quam Praxis Iudicij sive Ordinarij sive summarij ignaros ad iudicandum applicare. Ne ergo Prælati Ecclesiastici, vel Regulares, Episcopi, Vicarij Generales, Officiales, Archidiaconi, Abbates, Priores, Guardiani, alijque suorum, juxta superius dicta ordinarij iudices, in iudicijs suis pro suo placito procedant, non utile solum, sed necessarium duxi, inquirere, an iudex aliquem, quem ex sua scientia privata, ex auditu, visu, vel aliorum persuasione & relatione, scit vel putat reum, licet se-

cundum allegata vel probata convictus non sit, condemnare & punire possit. Si ab actu illicito ad potentiam argumentari liceret, res difficultatem non pateretur, cum prò dolor quotidie videamus, quomodo aliqui Superiores ob summam suam SS. Canonum ignorantiam, nullo servato ordine juris divini, vel humani, contra suos subditos procedant, gravissimis illos præjudicijs & pœnis, seq; enormibus peccatis implicantes.

Doctor Angelicus D. Thomas *in 2. 2. q. 67. art. 2.* quæstionem hanc doctrinaliter resolvit, quod nimirum iudex, teneatur ad sententiam procedere, secundum allegata & probata in actis, non verò secundum illud, quod privata scientia novit. Et rationem illius ex eodem D. Thoma allegat Fagn. *ad cap. Canonum statuta de constit. num. 53.* quia scilicet *judicare pertinet ad iudicem, se-*

cundum quod fungitur publica potestate, & ideo debet informari in iudicando, non secundum id, quod ipse novit, tanquam privata persona, sed secundum id quod sibi innotescit tanquam persona publicae. Quam sententiam ex principijs more suo probat egregie, & ab objectis tuetur Card. Cajetanus dicens, eam deduci ex Ambrosio & Augustino, & teneri ab Alexandro de Ales, Richardo, Petro de Palude, Petro de Tarantasia, alijsque Magistris. Cardinalis Tuscus acerrime quoque hanc sententiam tom. 3. concl. 389. defendit. Iudex, inquit, non debet iudicare secundum conscientiam, sed secundum acta & probata, quia lex humana non iudicat de occultis, Fed. de sent. cons. 21. Et hac de causa, dicitur, quod iudex non potest supplere in facto, videlicet, quod iudicet secundum factum sibi notum, & non probatum, ita Bart. in q. 14. iudex maleficiozum in verb. solutio. Quia iudex re-

netur servare Canones & statuta, & secundum ea judicat, non secundum conscientiam, Alex. cons. 215. Et non debet iudex plus sapere velle, quam majores nostri sapuerunt. Bald. in l. c. circa fin. Et quidem in tantum, ut etiam conscientia judicantis succumbere debeat legi humanæ, quæ à Deo esse dicitur Fed. d. consil. 21. n. 3. verb. in contrarium videtur, ubi ponit exempla, per quæ etiam si lex humana aliquid irroget innocenti, tamen est servanda. Ulteriorq; horum ratio esse potest, quod iudex non potest judicare super occultis, quia neq; Papa, neq; Ecclesia de illis judicat. Non enim sufficit, quod aliquid sit verum, nisi in actis sit productum, & probatum esse verum, ex illisq; solum, non autem ex privata iudicis notitia, constet esse verum. Alex. Consil. 186. visis subtilissimis num. 15. v. nec obstat si diceretur, l. 2. Et hæc omnia locum habent, tam in iudice primæ, quam secundæ instantiæ, vel appella-

tionis. Quare si iudex appellationis ex actis videat, iudicem primæ instantiæ, ex privata tantū scientia, tulisse sententiam & probanda in actis probata non esse, eandem tamquam nulliter & contra iustitiam latam, rescindere & cassare obligatur, tanquam divinæ legi & sacris Canonibus repugnantem, qui neminem nisi in actis convictum, condemnari volunt.

Exigebat autem id ipsum ratio iustitiæ, & bonum publicum, ut per hanc viam, refrænaretur malitia iudicum. Quid enim non tentarent, iniqui corrupti & corruptibiles iudices, qui pro nummis animas suas, & iustitiam venalem habent, si liceret illis ex privata scientia, ad condemnationem & sententiam procedere, nec obligarentur secundum allegata & probata iudicare? Quoties pro emolumento & lucro reos absolverent, & innocentes condemna-

demnarent, asserentes privata scientia se noscé hos reos, & illos innocentes?

Unica solum difficultas contra hanc Doctoris Angelici sententiam à parte contraria obmoveretur, quod scilicet divina & naturali legi repugnet, si judex eum, qui in actis publicis probatur nocens, & reus homicidij (cujus tamé ex oculari inspectione, & corporali præsentia, judex alium reum novit) nihilominus ad mortem condemnare debeat; cum tamen divina lege severissime cautum sit, quod innocens & justus interfici non possit. Hoc unicum argumentum & Achilles est, quo Doctoris Angelici sententiam aliqui enervare conantur. Sed illo non obstante stat immobilis divi Thom. sententia, quia ex principijs etiã ab adversarijs allegatis, talis innocens non est, cum secundum allegata & probata convictus sit nocens, adeoq; condemnatur nocens non

non innocens, & nocentia vel innocentia, non aliter quam ex actis & allegatis & probatis, demonstrari debeat, meliusque sit in tali casu condemnari re ipsa coram Deo innocentem, ex actis probatum nocentem, quam propter privatam judicis sic asserentis & non probantis scientiam, millenis & infinitis injustitijs judicium, aperire portam. Potestque hic servire illud impij Pontificis Cayphæ, vaticinium; *expedit unum hominem mori pro populo, quam ut tota gens pereat.* Ut præteream casum hunc mihi videri Metaphysicum. Certè si judex prudenter & circumspectè, in tali casu agat, & interrogatoria bene formet, mirum esset, si testes falsitatis & contrarietatis convincere non posset. Quod si adhibita omni industria non possit, non peccat, sed divinis & humanis legibus conformiter agit, si sententiam condemnationis pronun-

tiet. Optime ergò pronuntiavit Cardinalis Tusch. *tom. 3. concl. 389. num. 12.* *Extende, ait, ut procedat; quia si sciat etiam reum esse innocentem, quia viderit alium commisisse delictum, & nihilominus constet, hunc innocentem deliquisse, potest eum condemnare secundum communem.* Et paulò post, *Declarat, inquit, quia bene potest iudex instare apud Principem, ut causa alteri delegetur, vel ipse potest alteri delegare, ne iudicet contra conscientiam, sed tamen non debet propterea abstinere à munere iudicandi.*

Et licet sint, qui arbitrentur iudicem in tali necessitate constitutum, teneri petere absolutionem à munere & officio iudicis, vel potius deserere officium suum, cum gravi suo damno, quam aliquem, secundum allegata & probata convictum nocentem, quem ipse privata scientia innocentem novit, condemnare, id tamen necessarium non est,

est, juxta principia D. Thomæ, proceditque ex falso supposito, quasi talis iudex in ferendo secundum allegata & probata sententiam, contra conscientiam ageret & peccaret, quod tamen falsum est; quin potius actum justitiæ & meritorum committit, id agens, ad quod secundum divinam & humanam legem, obligatur. Credo tamen, nec dubito, talem iudicem obligari ad impendendam omnem industriam & diligentiam pro liberatione rei vel quasi; testes sæpius separatim mutatis circumstantijs & interrogatorijs rigide examinando, ut fraudem dolum & contradictiones inveniat. Quod si tali modo falsitatem & injustitiam detegere non possit, etiam supremo Principi casum denuntiare potest, ut pro eo gratiam impetret, qui secundum allegata & probata alias condemnandus & morte afficiendus esset, non tenetur tamen,

tamen,

tamen, cum magno suo & detrimento officij sui, de quo alias pro se & familia vivit, renuntiare, illudq; dimittere.

Est autem exceptio in supremo Principe, qui habet potestatem condendi leges, is enim in simili casu reum absolvere poterit; cum enim penes Principes supremos, sit jus aggratiandi, nihil difficultatis habet casus, quamvis *Fag. l. sup. cit. n. 54.* arbitretur supremū Principē in casu jam posito, posse quidē reum absolvere, sed non nisi populo palā faciat, causam suæ absolutionis, vel secundum allegata & probata curet ferri sententiā, & postea faciat gratiā. Contra justitiam proinde agunt, & reo gravissimam injuriam faciunt iudices, qui vel ex officio, vel ex commissione, ad examinandum crimen vel delictum deputati, nullo assumpto Notario, nullo servato prothocollo, nullo etiam teste præsente, asserere audent, à se examinatum criminis reum esse, idq; se

scire ex privata scientia, super illa sententiam poenalem excommunicationis vel carceris fundantes, cum nec iudici, quantumcunq; Religioso & sancto, etiam Episcopo ex supra relatis Concilij Africani & Carthaginensis verbis, in tali assertione, quâ ut privatus, non ut iudex & publica persona agit, fides adhiberi debeat.

Ad reprimendam autem iudicum suam privatam scientiam in iudicijs prætendentium malitiam, optimè in Concilio Generali statuit Pontifex: ut nulli iudici fides adhiberi debeat, nisi quæ allegat, ex actis Notarij, vel duorum fide dignorum manibus conscriptis, probet. *Quoniam, ait Pontifex X.c. 11. de probationibus: contra falsam assertionem iniqui iudicis, innocens litigator quandoque non potest veram negationem probare; cum negantis factum per rerum naturam, nulla sit directa probatio, ne falsitas veritati præjudicet, aut iniquitas præva-*

leat aequitati. Statuimus, ut tam in ordinario, quam extraordinario judicio, judex semper adhibeat publicam (si potest habere) personam, aut duos viros idoneos, qui fideliter universa acta judicij conscribant, videlicet citationes, dilationes, recusationes, petitiones, responsiones, interrogationes, confessiones, testium depositiones, instrumentorum productiones, interlocutiones, appellationes, renuntiationes, conclusiones, & cetera, quae occurrunt, competenti ordine conscribenda, loca designando, tempora & personas, & omnia sic conscripta partibus tribuantur, ita ut originalia penes scriptores remaneant, ut si super processu judicis fuerit suborta contentio, per hoc possit veritas declarari: quatenus hoc adhibito moderamine, sic honestis & discretis deferatur iudicibus, quod per improvidos & iniquos innocentium justitia non ledatur. Iudex autem, qui constitutionem ipsam neglexerit observare, si propter

ter ejus negligentiam, quid difficultatis emer-
 serit, per superiorem judicem animad-
 versione debita castigetur, nec pro ipsius
 præsumatur processu, nisi quatenus in causa
 legitimis constiterit documentis. Ex qua
 constitutione Gener. Concilij, constat.

Primo. Judicem aliquid asserentem,
 quod ex actis & prothocollo Notarij,
 vel duorum virorum idoneorum ma-
 nibus conscriptis, probari non potest,
 esse iniquum.

Secundo. Hanc constitutionem,
 non solum tenere, in Judicio ordina-
 rio, dum servantur omnes juris forma-
 litates, sed etiam in judicio *extraordi-*
nario, sive *delegato*, ut hic interpretatur
 glossa vel quando non proceditur *in fi-*
gura judicij, sed *simpliciter & de plano*.

Tertio. Quod pro processu judicis
 non præsumatur, nisi legitimis in causa
 constiterit documentis.

Superiori autem regulari valdè ca-
 ven-

vendum est, ne nimis sit zelotypus & suspiciosus, curetq; in vitam & mores suorum per aliquos occulte ad hoc deputatos inquiri, idq; ut puniendi occasionem habeat, nulla alia habita certitudine, quam à talibus à se deputatis vigilibus. Quare bene superiores monet Antonius à Spirit. sancto, *tract. 4. disp. 4. sect. 4. 167. usq; ad num. 272. inclusive.* *Advertant, inquit, Superiores se patres esse suorum subditorum non dominos, & ideo tanquam patres dilectis filijs salutarem adhibeant castigationem. Unde non debent sedulo inquirere, quod reprehendant, hac enim inquisitio generat scandala, & odij occasionem injuriamq; prabet proximo, adversatur enim honori & existimationi, quam de se habere omnes cupiunt, sufficit igitur vigilantia communis.* Ita Lezana, Corduba, Soto, &c. & paulò post, *Unde pro tuenda regulari disciplina, nullo modo vigiles seu custodes imponat, ut actiones*

suo-

suorum subditorum explorent, ut siquid videant correctione dignum, ei denuntient, ut eos etiam fraternaliter corrigat, inde enim magna odia & dissensiones, inter vigiles & subditos possent oriri. Non debet igitur esse in inquirendis subditorum suorum excessibus, nimis sollicitus, quia sic se molestum & odibilem redderet subditis, nec propterea finem intentum consequeretur: cum potius prudentia & charitas dicent, interdum à superioribus dissimulanda esse, aliqua peccata leviora, ut postea correctio cedat in majus bonum spirituale subditi correcti. Hæc dictus Antonius à Spiritu sancto, quæ omnia verissima esse experimento didicimus, audacterq; assero, in pluribus Monasterijs gravissima odia & similtates causari ex inquietudine, anxietate, & suspicionibus Prælatorum & Superiorum, qui dum in omnibus quasi Monasterij angulis, vigiles & proditores (qui ipsi ma-
ximi

ximi aliquando regulæ & statutorum transgressores sunt) constituunt, ut quid agatur ex insidijs observent, & sibi referant, & illorum dictis aliquando etiam veritate non nixis, credendo & puniendo? quid aliud agunt, quam quod fraternam & exin divinam charitatem (ad quæ tanquam ad primarium finem omnium religiosorum ordinum instituta tendunt) evertant? Religiosos inter se collidendo, & similtates & occultas suspiciones fovendo, dum quilibet alterum tanquam delatorem & suum proditorem suspectum habet, ejusq; consortium & societatem fugit. Videatur de his D. Angel. D. Thomas, *de correctione fraterna* 2. 2. q. 31. a. 7. & acutissimus Cajet. ac Dominic. Bannéz in commentarijs ad d. textum; ubi qualem cautelam Superiores, in inquirendis subditorum excessibus, adhibere, & quid cavere possint vel debeant, pulcherrime deducunt.

ARTI-

ARTICVLVS XI.

Quid carcer, an et ob quas causas Superior Ecclesiasticus vel Regularis, subditum suum incarcerare, ex Ordine dimittere, ad triremes condemnare, excommunicare vel suspendere possit?

EXpeditis ijs, quæ formando iudicio, & directione in judicialibus necessario præmittenda, & cognoscenda erant, qualis nempe sit potestas Præsidum, Visitatorum, & Capituli Generalis, Provincialis, Triennialis, vel Annalis, qualiterq; omnes, hi ad observantiam sacrorum Canonum obligentur, quæ vè scientiâ, an publica, an privata, in suis iudicijs dirigi debeant, ad Superiorem uti Ordinarium revertimur, & cum in Superioribus dictum sit, solum Superiorem habere potestatem puniendi

endi & corrigendi suum subditum, id est
suspendendo, excommunicando, in-
carcerando, & ab Ordine dimittendo,
hinc in præsentia quaeritur, quid sit car-
cer, & ob quam causam, pœnaq; dimis-
sionis ex Ordine vel triremium &c. in-
fligi possint, vel debeant?

Carcer si Cardinali credimus est ma-
la mansio, inferens justum metum Concl.
79. n. 1. & 2. species servitutis. Et inferit
infamiam in carcerato, & damnum perpe-
tuum, & omnino irreparabile. Alex. cons.
17. requisitus col. 3. lib. 1. Card. ibi sup. n. 6.
Diuturnaq; carceratio prohibetur: quia
aut carceratus meretur & debet liberari,
leg. fin. c. de custod. reorum. Card. n. 6. An-
char. Cons. 153. in quest. Presbyteri in fin.
ubi loquitur in foro etiam Ecclesiasti-
co. Et ideo carceratus, qui diu stetit in
carcere, si in adventu novi Officialis sum-
citationes, ut compareant illi, ad quorum
petitionem sunt carcerati talis vel talis,
qui

qui sciant & quorum interfit, & nullus
 compareat, poterunt relaxari: ita Bartol.
 in l. si quis uxoris §. si fugitivus in fin. ff.
 de fur. Card. num. 9. Et licet carcer non
 sit principali intentione ordinatus ad
 pœnam, tamen pœnam semper infert
 secundo. Idem: n. 13. ibid. Molestiæ
 enim tædia & squallores, quæ carceres
 comitantur, veræ pœnæ sunt. Quare
 Tholosanus Sintagm. juris univ. lib. 31.
 cap. 33. num. 14. Omnes enim carceres, in-
 quit, quantumvis speciosi sint, pœnam sua
 natura habent, libertatem minuunt, &
 consequenter tristem animum reddunt,
 non secus ac aves libera cavea incluse, ca-
 nendi voluptatem amittunt. Unde Ci-
 cero 3. in Catilin. carcerem dicit, vindi-
 cem manifestorum scelerum & nefariorum.
 Est autem carcer, alius temporalis,
 perpetuus alter. Ille est, qui ad certum
 tempus infligitur, estq; maxima hæc
 incarcerationis consolatio, quod sciat se
 L libe-

liberandum, terminumq; liberationis, generosioriq; animo toleratur tormentum gravius, cujus terminus scitur, quam exigua molestia, cujus finis ignoratur. Perpetuus autem carcer, est ille, qui ad mortem usq; durat, sine spe liberationis, dum nimirum reo per sententiam definitivam perpetuus carcer, loco alterius supplicij decernitur. Estq; poena gravissima, cui plurimi mortem praoptarent. Certe Fagn. *ad c. cum non ab homine de judic. num. 60. pro atrocissimis; inquit, delictis pro quibus secundum leges imponenda esset poena mortis, Ecclesia habet poenam carceris perpetui, qua proportionatur poena mortis naturalis, saltem quando sic detrusus debet sustentari panis & aqua, & hujusmodi poena est loco ultimi supplicij: sic ergo delinquens Clericus (nimirum per homicidia & furtiva iterata & qualificata) non manet impunitus, imo acerbius affligitur, quia mitior est poena sta-*

tim mori, quam diu affligi & salutem non sperare.

Quibus præsuppositis, ad primam quæstionis partem respondetur, Superiorem Ecclesiasticum vel Regularem, non posse pœna carceris punire suum subditum, nisi ob causas graves, debite & ita probatas, ut probationes sint luce meridiana clariores. Patet ex prænotatis, cum enim pœna carceris sit valde gravis, non nisi pro causa & delicto valde gravi potest imponi, ut delictum & pœna adæquentur & commensurètur, ut quod *sceleratius est, commissum gravius vindicetur. c. non afferamus 24. quæst. 1.* Qualia autem sint delicta pro quibus carcer infligi possit, impossibile est determinare, sed attendendi sunt SS. Canones, Constitutiones Pontificiæ, & singulorum Ordinũ Regulæ, & Constitutiones, à Sede Apostolica approbatæ, secundũ quas

L 2

Supe-

Superior se dirigere debet, ita ut sententiam carceris contra subditum non ferat, nisi ex causa sufficienter probata. Unde Antonius à Spiritu sancto *directorio Regul. tract. 3. disp. 6. Sect. 1. num. 136.* Non tenetur, inquit, subditus obedire si precipiatur ire in carcerem, non assignata causa talis incarcerationis. Ita Peyerinis *de subdito q. 1. cap. 3. dict. 1.* Nam carcer irrogat gravem infamiam Religioso, qui honorem suum de jure naturali, cui non renuntiavit, tenetur seu saltem potest defendere; ergo non tenetur sic captis oculis se carceri mancipare. Imò etiam si Prælatus assignet causam, si tamen non esset sufficiens, non tenebitur subditus obedire. Nam vel carcer ponitur in pœnam criminis, & tunc non potest poni nisi per sententiam definitivam, prævijs NB. probationibus & defensionibus, vel ad custodiam, & tunc etiam non potest imponi nisi reus sit valdè de crimine suspectus & fugere

gere solitus, vel imponitur ad afflictionem,
 & est quadam tortura species & adhiberi
 non debet nisi pro gravi crimine.

Igitur carcer tanquam gravissima
 & infamatoria pœna, à superioribus
 non facile infligi debet & si infligi ne-
 cesse sit, ita temperari, ut sit tolerabi-
 lis, nec nimis diuturnus. Carcer enim
 Religiosorum non debet carceribus
 aliorum & sæcularium ac criminoso-
 rum assimilari, sed discretior esse.
 Quare optime Glossa ad cap. *vas Ele-*
ctionis Extravag. de censibus misericor-
 diter etiam ait & non passim sunt corri-
 gendi Monachi, & non more latronum in
 carcerem detrudendi, de stat. Monach. cap.
 Ea quæ: & non debent Prelati esse nimis
 graves in corrigendo, alias de consilio
 conventus id est capituli, est correctio
 temperanda. Aggravatur autem pœna
 carceris.

L 3

Primo.

Primo. Ex situ & loco si sit obscurus & angustus, nec aëre pervius, sed mucosus & foetidus.

Secundo. à subtractione cibi & potus ad longum tempus, & subministratione solius panis & aquæ ad unum vel aliquot menses.

Tertio. à nimiâ diuturnitate, si aliquis ad unum duos vel ultra annos, vel quod pejus & crudele est, nullo præfixo determinato termino carceri mancipatur.

Quarto. Si gravibus insuper compedibus ferreisq; manubrijs includatur.

Quinto. Si solatia spiritualia misero incarcerato subtrahantur, nec spirituales viri, qui eundem consolentur, ac illius animum erigant, ad illum admittantur.

Sexto. Si à divinorum participatione excludatur, ita ut nec in Dominicis vel alijs etiam majoribus festivitatibus ad audien-

audiendum sacrum & participatio-
nem Sacramentorum admittatur.

Gravissimis proin delictis se invol-
vunt superiores, suos subditos vel in-
juste seu nondum convictos de crimi-
ne, ad talem pœnam qualificato, vel
ob crimen, quod pœna mitiori corrigi
poterat, vel debebat, carceri manci-
pant, & quodammodo ad desperatio-
nem adigunt. Nec dubium est, quin si
per talem male sanum carcerem, &
malam in eo tractationem, incarcera-
to mors acceleratur, superior author
incarcerationis, & omnes qui illi coo-
perati sunt, incurrant irregularitatem,
tanquam tortores & homicidæ. Pa-
norm. cap. *cum non ab homine de Jud.*

Quare saluberrime Abbatem cap.
27. Reg. monet S. P. Benedictus *omni
solicitudine*, inquiens, *curam gerat Ab-
bas circa delinquentes fratres, quia non
est opus sanis medicus, sed male habentibus.*

L 4

Et

Et paulò infra : Magnopere enim debet sollicitudinem gerere Abbas circa delinquentes fratres & omni sagacitate & industria curare, ne aliquam de ovibus sibi creditis perdat. Noverit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super
NB. sanas tyrannidem : & metuat Prophetæ comminationem, per quam dicit Deus. Quod crassum videbatis, assumebatis : & quod debile erat projiciebatis. Et Pastoris boni pium imitetur exemplum : Qui relictis nonaginta novem ovibus in montibus, abiit, unam, quæ erraverat, querere : cujus infirmitati tantum compassus est : ut eam in sacris humeris dignaretur imponere, & sic reportare ad gregem. Et hæc, quantum ad primum & potestatem incarcerandi, jam ad secundum de exilio : quod licet quo ad Clericos & Regulares, modo non sit in usu, nihilominus Regularibus species quædam exilij est, dum Religiosus à Superiore

periore contra suam voluntatem ex loco Professionis proprio, in quo stabilitatem promisit, ad aliud Monasterium mittitur, vel sic contra iustitiam tractatur, ut mitti petat. Talis autem transmissio vel fit ex justa causa v. g. quia in loco professionis est confratribus suis scandalo, eosq; & pacem Monasterij perturbat, vel alias pro delictis suis talem pœnam promeruit: nec dubium est, quin in tali casu superior id possit, cum enim Religiosum suum, culpis sic exigentibus excommunicare, suspendere, & incarcerare possit: Quanto magis ad alium locum justa de causa transmittere poterit? quod si ea non subsistit, non tenetur subditus obedire suo superiori, cum à Monasterio in quo professionem emisit, & stabilitatem loci promisit, ad alium locum emittenti, absq; eo, quod ille causam rationabilem assignet; ita An-

tonius à spiritu sancto tract. 3. disp. 6. sect. 1. num. 139. usq; ad 146. Citans Navarr. Peyerin. & alios, illiusq; ratio est, quod Iudex & Superior non potest in damnum tertij quidquam ordinare, sine rationabili causa. Nec tenetur talis Religiosus credere superiori, dicenti, se id facere ex rationabili causa, nisi eam assignet: idem ibid. Imò si absq; rationabili causa transferatur, habet talis Religiosus tanquam injuste gravatus, justam appellandi causam, cum talis translatio possit cedere in maximam infamiam Religiosi, non solum apud Religiosos, sed etiam seculares, quod gravamen & præjudicium per appellationem declinare potest. Idem ibid. Alia etiam ratio esse potest, quod Religiosus qui in sua professione promittit ad manus Prælati stabilitatem loci, per pactum & transactionem, inter se & Prælatum acceptantem talem professionem, acquirat jus ad locum quo si-

ne

ne suo demerito, ab eo, qui in hoc consensit, privari non possit.

Pæna triremium in Germania in usu non est, merito abominanda ob effectum & inconvenientia quæ eam consequuntur. Pœnæ enim Ecclesiasticorum & Religiosorum principaliter ordinantur ad emendationem non ad deteriorationem, ut spiritus salvus sit in die Domini. Quare Navarrus *in com. 3. de Regal.* optime dixit, *alienum esse à charitate fraterna & paterna, huiusmodi pœnam infligere.* Et longè melius sit perpetuo carceri mancipare, quam ad triemes condemnare, & quasi certo æternæ damnationis periculo exponere. Accedit, quod ad triemes condemnare apud Regulares sit ex ordine eicere, quod non nisi cum certis ab Urbano VIII. ordinatis conditionibus fieri potest, & vigore illius ejecti, quotannis à suis Præla-

tis requiri debeant & revocari, & in-
super ad triremes damnandi, degra-
dari soleant, quod extra Prælatorum
potestatem est.

Supereft pro ultimo discutere, an
& ob quas causas Superior Regularis
subditum ex ordine ejicere possit.
Quin id possit, nullatenus dubitat An-
ton. à Spir. sanct. *Certum est*, inquit,
tract. 4. disp. 3. sect. 12. §. 2. n. 450. Pos-
se Prælatos Regulares ejicere ab ordine &
habitu spoliare religiosos ob sua demerita.
Ita communiter D D. apud Peyerini.
de subdito quest. 1. cap. 25. cap. fin. de Re-
gular. privilegij Alexand. I V. Inno.
IV. Sixti IV. & Pij V. & Regul. S. Be-
ned. cap. 28. ibi. *Quod si nec isto modo*
sanatus fuerit, tunc jam utatur Abbas ferro
abscissionis, ut ait Apostolus: auferte
malum ex vobis. Et iterum: Infidelis si
discedit, discedat; ne una ovis morbida
totum gregem contaminet. Causa autem
præci-

in- præcipua dimissionis ex ordine & pri-
gra- vationis habitus Religiosi, ex Bulla
um Urbani VIII. est incorrigibilitas. Sta-
an tuit enim, nullum Regularem posse
aris imposterum ejici, nisi verè sit incorri-
tit. gibilis, qualis non censeatur, nisi con-
An- currant omnia, quæ ex juris commu-
nit, nis dispositione requiruntur. Quis-
pos- nam autem verè dicendus sit incorri-
gibilis, in hoc licet diversi diversa sen-
ita. tiant, placet tamen mihi, tanquam SS.
in. Canonibus & Regulis S. P. Bened. alio-
Re- rumque ordinum institutorum con-
formior.

1. Qui culpas graves non veretur, ad-
mittere & tamen pœnas ferre recusat.

2. De cujus emendatione & cor-
rectione non est aliqua probabilis
spes, propter obstinationem seu inve-
teratam mali consuetudinem, vel de-
licti atrocitatem, vel alias circumstan-
tias.

L 7

3. Qui

3. Qui ter convictus, & punitus de aliquibus gravibus delictis, etiam distinctis, numquam fuit emendatus.

4. Qui per sententiam damnatus ad pœnam gravioris culpæ, pro aliquo peccato mortali, pœnam tamen recusat adimplere.

Igitur verè incorrigibilis, hoc est de incorrigibilitate & crimine juxta superius sect. i. tradita perfecte per probationes luce meridiana clariores convictus, servatis de jure servandis, postquam per unius anni spatium fuit probatus in carcere, in jejunio & pœnitentia, si perseverat induratus, poterit ejici, verum non nisi à Generali Ordinis vel legitimo suo Superiore & Ordinario judice, de consilio ac consensu, sex Patrum ex gravioribus ejus ordinis instructo processu, & plene probatis causis expulsionis ad Sacrorum Canonum prescriptum. In quibus verbis bene notanda verba *sex*
ex

ex gravioribus Ordinibus, qui scilicet iudicent sine passionibus, solius causæ merita, vel demerita attendentes.

Debentq; tales non ab ipso Superiore, sed à Capitulo generali ut declaravit S. Congreg. idcirco eligi, ne si Superior forte contra quem proceditur, vel ex naturali complexione vel alia de causa sinistre affectus, quærat & eligat tales, qui suis passionibus protrocinentur, & eam quæ sibi placitura est, sententiam ferant. Nec minus notanda verba *instrueto processu & plene probatis causis*. Ut videant tam Superiores, quam electi sex ex gravioribus, ad quamcunq; informationem & relationem quorumcunq; ad sententiam incorrigibilitatis (ad quam infallibiliter unius anni incarcerationio & ab ordine dimissio sequetur) procedere, sed ea, quæ ad veritatis manifestationem & substantiam Judicij spectant, neces-

neces-

necessario debere observare, & deinceps quilibet sine communicatione cum alijs super transmissio sibi processu, sententiare. Idq; tali modo, ut nisi illorum sex consilium & consensus cumulative sit ibi, sententia à reliquis non consentientibus lata, sit nulla: cum Pontifex illorum sex consensum requirat, & absq; hoc odiosa (qualis hæc causa est) restringi oporteat.

Incumbit tamen juxta Constitutionem Pontificiam, Superioribus & Prælati, *de quorum manibus sanguis subditorum requiretur, cap. irrefragabili 13. de offic. Ordin.* omnem industriam & media possibile ad lucranda, & revocanda oviculam errantem adhibere, cum per sententiam incorrigibilitatis & dimissionis ab ordine, subditus quasi infalibili æternæ damnationis periculo exponatur.

Miror

Miror autem quod Antonius à Spi-
rit. sancto loco sup. cit. licet sentiat pos-
se regulares incorrigibiles, habitu spo-
liari & ab ordine ejici, nihilominus
num. 459. asserere, & existimare aude-
at, Decretum supra allegatum Urbani
VIII. in multis Religionibus non esse
usu receptum, & ubi receptum est,
observari debere, secus si non sit re-
ceptum: adeoque tales Superiores,
non teneri Religiosos ejectos fugiti-
vos, vel apostatas quærere & revoca-
re, & si redeant, non teneri illos admit-
tere. Et hæc omnia ex illo falso suppo-
sito, quasi SS. Canones, Constitutio-
nesque Apostolicæ pro vigore haben-
do dependeant ab acceptatione po-
puli, possintque sine consensu & certa
scientia summi Pontificis vim obligan-
di amittere, cujus tamen contrarium
supra fusc ex SS. Canonibus & Cano-
nistis demonstratum est.

Ad

Ad excommunicationem, & suspensionem, quod attinet, si illa injuste à Superiore fulminata est, excommunicans graves pœnas incurrit, patet ex *cap. sacro approbante x. 48. de sent. Excom.* Caveat inquit diligenter ne ad excommunicationem cujusdam absq̃ manifesta & rationabili causa procedat: causam paulò post subjungens, cum non sit inquit *levis culpa tantam infligere pœnam insoni.* Quare paulo ante, injusto Excommunicatori, non solum ingressum Ecclesiæ ad unum Mensem interdicit, sed & alijs arbitrarijs pœnis multandum jubet.

ARTI.

ARTICVLVS XII.

An Clericus vel Religiosus, à sententia sui Prælati uti Ordinarij, appellare possit?

Appellatio si Cardinali alijsq; Canonistis credimus est, quædam medicina contra morbum sententiæ iniquæ, l. 1. ff. de appell. Card. tom. 1. concl. 347. num. 1. Et nihil aliud est appellatio quam quærela iniquitatis adinventæ, ut judicantis iniquitas corrigatur. Rom. cons. 324. Estque defensio & presidium innocentie de jure naturali inducta ad favendum oppressis, illisq; favorabile remedium Alexand. consil. 113. & ad tollendum gravamen, quia non gravatus non appellat, & ubi cessat gravamen, cessat appellatio, Alexand. con. 89. num. 8. lib. 1. omnis oppressus 2. quest. 6. Card. concl. cit. per totum. Unde speculator lib. 2. part. 3. §.

3. §.

3. §. 1. quis possit appellare : omnis inquit, & C
 oppressus aut injustè gravatus, quicumq;
 sit, ut in 2. q. 6. omnis oppressus, & cap.
 quo
 Seco
 pell
 dis.
 ut a
 tia
 tro
 si q
 ren
 ide
 que
 stit
 Et
 fia
 ve
 cu
 &
 nu
 pō

ideo de appell. Ludowicus Engel. part. 3.
 lib. 5. tit. 38. §. 3. n. 16. & 17. appellatio
 enim non est inventa, ut sit iniquitatis
 vinculum sed oppressorum levamen. gloss.
 ad cap. ad nostram de appellat.

Quibus præsuppositis, ad quaestio-
 nem respondeo : de jure communi, re-
 gulariter non licere Ecclesiasticis, vel
 Religiosis, à correctione & præceptis
 suorum superiorum legitimè & secun-
 dum SS. Canones, Regulam Ordinisq;
 constitutiones factis, appellare. Pa-
 ter ex cap. reprehensibilis de appellat. Ubi
 Pontifex, statuimus, inquit, ne subjecti
 contra disciplinam Ecclesiasticam, in vo-
 cem appellationis erumpant. Et infra præ-
 cipue hoc in Religiosis volumus observari,
 ne Religiosi, cum pro aliquo excessu fuerint
 corrigendi, contra Regularem Prælati sui
 & Ca-

& Capituli disciplinam appellare præsumant, sed humiliter & devotè suscipiant, quod pro salute sua eis fuerit injunctum. Secundus textus in cap. ad nostram de appellatione. Ubi Pontifex, quia verò remedium appellationis non ideo est inventum, ut alicui à Religionis & ordinis Observantia exorbitanti, debeat in sua nequitia patrocinium exhibere: mandamus quatenus si quando quilibet subditorum tuorum ad remedium appellationis convola verit, non ideo minus eum juxta tenorem mandati, quod in prædicta Regula continetur, & institutionem Ordinis corrigas & castiges. Et horum omnium ratio esse potest.

Primo. Quod Superior sive Ecclesiasticus, sive Regularis, judicialiter vel extra judicialiter procedens, si secundum SS. Canones Regulæ instituta & ordinis constitutiones procedat, nullum subdito gravamen inferat, adeoque appellationi, quæ tantum ad vitandum

dum

dum gravamen introducta est, locus non sit: maximè cum Religiosus post peractum novitiatus annum, in quo omnia similia ad deliberandum sibi proposita sunt voluntariè & spontaneè, talibus constitutionibus & Ordinis Observantijs, ac pœnis se subdiderit, & Juri appellationis per professionem quodammodo renuntiaverit.

Secundo. Quod appellationes si à correctionibus juxta ordinis constitutiones inflictis admitti deberent, quid aliud haberemus in Monasterijs, quam continuas appellationes, litigia, guerras & everfionem totius disciplinæ regularis, & status Religiosi, dum subditi liberrimè transgredierentur Regulam Ordinisq; statuta, & pro transgressionibus correcti appellarent, effectumq; correctionis suspenderent, & ad insultandum Superioribus audaciores evaderent. Sicut ergo in illis
 quæ

quæ spectant ad observantiam regularem & culpas leves, eorumq; correctiones, non est necessaria tela iudicialia vel ordinarius processus, sic nec appellatio in similibus locum habet, ob rationes mox allatas.

Ex quibus omnibus manifestum evadit, appellationem à correctionibus secundum SS. Canones, præscriptum Concilij Tridentini, Regulam & Ordinis constitutiones factis, omnibus Clericis & Religiosis interdictam. Quare exurgit dubium, an saltem si Superior in corrigendo modum excesserit, vel in causis criminalibus, contra subditum servato ordine iudiciario sumario procedat, & gravamen, quod per definitivam reparari, & non nisi per remedium appellationis declinare nequit, inferat: an in talibus casibus subditus, ad servandum se indemnem, appellare non possit, præsertim cum appella-

pella-

pellatio, ut supra dictum est, sit species defensionis de jure naturali cuiuslibet competentis, quam etiam Religiosus denegare velle, & eosdem quibuscunq; crudelibus procedendi modis, tanquam justis subicere velle, speciem quandam crudelitatis præferre videtur. Sit ergo:

ARTICVLVS XIII.

In quibus causis Clericus vel Religiosus à sententia sui Prælati & ad quem appellare possit.

NON licere Regularibus in ulla causa, vel à quocunq; gravamine, quantumcunq; enormi, E. G. depositione, privatione officij, carcere, alijsq; arbitrarijs gravissimis, etiam injustè afflictis pœnis, ad alium Superiorem appellare; multorum in SS. Canonibus, eorumq; Interpretibus minime

mē instructorum, fuit & etiamnum
 est sententia. Fundantq; se in privile-
 gijs, à summis Pontificibus diversis
 Ordinibus concessis, & ad alios vigo-
 re communicationis privilegiorum
 extensis. Tale enim privilegium Or-
 dini Cisterciensi concessit Bonifacius
 VIII. Minoribus, Bonifacius IX. Cas-
 sinensibus, Gregorius XIII. Augusti-
 nianis & Carmelitis, teste Fang. *ad c. de*
Priore x. 31. de appellat. num. 33. Sixtus
 IV. & Prædicatoribus. Julius II. vide
 Barbof. *in collect. in cap. ad nostram de*
appell. Notat autem Virginius Aluise.
in Muren. aur. sect. 3. §. 3. num. 2. quod
 hæc & similia, fundantur in præsumptio-
 ne integritatis & æquitatis Prælatorum,
 de quibus præsumitur, quod tanta pruden-
 tia discretionem & justitia regant sua Mo-
 nasteria, ut in correctionibus non exce-
 dant, aut gravamen irreparabile infe-
 rant. Sed prò dolor scandala multiplicia,

M

toti

*toti mundo palam nota, & experientia
 contraria, saepe docuerunt, hanc aequitatis
 & Iustitiae praesumptionem, jam dudum
 in multis Praelatis, cessasse & cessare; dum
 non servato juris ordine, nec illis quae
 ad processum summarium spectant,
 & necessario observari debent, suos
 subditos, praeter condignum puniunt,
 suspendunt, incarcerant, alijsq; gra-
 vissimis poenis affligunt, tanquam per-
 petui, independentes Praelati, nemi-
 nem pertimescentes. Unde cit. Aluise-
 t. num. 3. subjungit: quod si quis arden-
 tius institerit, pro talium privilegiorum
 mantentione; huic ego aliud non opto (ut
 ad sanio rem mentem redeat) quam ut De-
 us eum permittat sortiri Superiorem inju-
 stum, vindicta cupidum, nihil non auden-
 tem; hoc est Angelum Satanae, qui ipsum
 etiam bene agentem colaphizet, prout est
 moris talibus.*

Ad

Ad primam ergo quæstionis partem respondetur, Clericos & Regulares, licet juxta allegata articuli præcedentis à correctione & reformatione motum à sententia sui Prælati, aut Superioris tanquam ordinarij non possint, si tamen modus in illis excedatur, licite & valide appellare possunt. Probatur ex cap. *irrefragabili de offic. Ordin.* in quo Pontifex in Conc. Gener. *Irrefragabili*, inquit, *constitutione sancimus ut Ecclesiarum Prælati ad corrigendum subditorum excessus maximè Clericorum & reformandos mores, prudenter ac diligenter intendant, ne sanguis eorum de suis manibus requiratur, ut autem correctionis & reformationis officium liberè valeant exercere, decernimus ut executionem ipsorum nulla consuetudo vel appellatio valeat impedire, nisi formam in talibus exceßerint observandam.* Ubi bene notanda ultima verba: *nisi formam in talibus exceße-*

runt &c. Exemplum autem talis excessus adducitur *inc. de Priore de appellat.* Ubi Canonicus quidam Regularis (textu & Glossa testibus) appellavit a suo Priore, qui modum excedebat in correctione, quem fecit vestibus usque ad camisiam spoliari.

Prior non obstante appellatione, processit enormiter contra illum Canonicum, unde conquestus fuit Domino Papæ, qui mandat cuidam Judici, ut si præfatus Canonicus appellavit, propter enormitates ipsius Prioris manifestas, quæ reddunt ipsum notabilem, & ipse non detulit appellationi, compellatis ipsum, ad Sedem Apostolicam cum litteris veritatem continentibus venire, satisfacturum de tanto excessu. Et notat ibidem Glossa.

Primo. *Quod Præfatus non debeat excedere modum in corrigendo, alioqui tenet appellatio, quæ alias non teneret.*

Secundo.

Secundo. *Quod qui non defert appellationi legitima debeat puniri.*

Explicat autem clare hunc casum Abbas ad. d. cap. de Priore num. 3. allegans causam, & inordinatum puniendi modum, cum propria Prioris illius delicta illum notabilem redderent, & ea propter Canonicus ad Sedem Apostolicam appellaret. Iste Prior compellebat istum Canonicum, ad consentiendum alienationibus, quas illicitè faciebat de rebus Ecclesiæ, consanguineis & amicis suis. Item ad tegendū vitia sua, eum cogebat ad jurandum, unde iste sentiens se illis gravari, appellavit ad Superiorem. Provocatus Prior istum incarceravit, & coëgit eum renuntiare suæ appellationi, propter quod venit puniendus ut in textu. Fagn. ad dictum cap. de Priore, in glossa prima, notabene intellectum glossæ: Nam iste Prior fecerat spoliari Canonicum Regu-

larem sibi subjectum, usq; ad interulam,
 & sic excesserat modum in corrigendo, un-
 de Canonicus à tali excessu appellavit ad
 Papam, & quia Prior non obstante appella-
 tione, processit enormiter contra eum, Pa-
 pa mandat, Priorem ad curiam vocari, de
 tanto excessu satisfacturum. Et paulo in-
 fra: in antiqua continebatur, quod usq; ad
 effusionem sanguinis, iste Canonicus fuit
 verberatus & castigatus, & propter hoc
 appellaverat. Et postquam num. 13. ex
 Antonio Augustino retulisset, Sacrosan-
 ctam Romanam Ecclesiam, non consuevis-
 se hujusmodi appellationem admittere, ne
 Monachis vel Canonicis Regularibus pra-
 beatur audacia delinquendi, & ex Concil.
 Trid. sess. 13. c. 1. v. in causis visitationis &
 correctionis. & sess. 22. c. 1. in fin. mox sub-
 jungit. Tamē si Prælati etiam Regularis mo-
 dū excesserit in corrigendo, bene admitti-
 tur appellatio, & tenetur Prælati hujus-
 modi appellationi deferre, alias punitur, ut

hic

*hic est textus, qui ad hoc quotidie à Doctõ-
ribus allegatur.)*

Manet ergo certum & indubita-
tum, quod quotiescumque Prælati
vel Superior, in corrigendo modum
excedit, licitum esse subdito, à tali ex-
cessu ad Superiorem & ad Sedem Apo-
stolicam appellare, & teneri Superio-
rem sine ulla tergiversatione tali ap-
pellationi tanquam justæ deferre. Sin-
gularum enim ordinum Superioribus,
à Regulis & statutis, constituti sunt li-
mites, quos prætergredi illicitum est.
Cum enim Religiosi, ex vi suæ profes-
sionis, obligati sint ad dies vitæ suæ,
non solum ad vota essentialia, sed eti-
am ad Regulam, Ordinisq; constitu-
tiones, & SS. Canones, licet non æqua-
li modo; hinc secundum illas tanquam
leges judicari debent, nec potestas Su-
periorum ultra extendi potest. Si enim
Superioribus Regularium, quemcun-
que excessum, quocunq; modo sibi

placito punire licitum esset, nec ab excessu appellari posset; sicuti tunc, qui Prælatum mansuetum, prudentem & discretum nanciscerentur, felicissimi essent, sic à contrario, qui iracundum, vindictæ cupidum, audacem, & sui impotentem acciperent, infelicissimi forent, & quasi in continuo tormento & laniena, cum animarum suarum evidentissimo periculo viverent. Hæc ergo ut præcaverent summi Pontifices, in Concilijs Generalibus & SS. Canonibus tantis malis, non odiosum (ut quidam imprudenter & ignoranter nominare ausi sunt) sed salutare appellationis remedium, gravatis concesserunt. Eapropter ego in speculo meo Archidiaconali, *Sect. 1. art. 7. pag. 96.* inter alia asserui hincè formalibus. *Et sicuti Prælatus, dum subditos sibi immorigeros, ad normam redigere nequit, nec ab Ordine & Visitoribus, debitam assistentiam habet, licitè auxilium*

Episcopi & Ordinarij implorare potest; sic subditis, dum à Superioribus injustè, & in rebus magni momenti contra Regulam & statuta gravantur, & à Visitoribus Ordinis, debitè requisitis, non habent auxilium: idem licitum est. Quod dictum licet justissimum & SS. Canonibus conformissimum, nihilominus à quibusdam an malevolis, an ignorantibus nescio, quasi esset scandalosum & subditis Regularibus scitu periculosum, sugillari debuit. Sed illis meritò ingeminetur illud: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Si sacros à me allegatos Canones inspexissent, longè aliter cessantibus passionibus dictante justitia, judicassent. Cessent Prælati & Superiores gravare, & cessabunt subditi appellare, experturi graves à SS. Canonibus dictatas pœnas, si frivole appellare præsumplerint.

M 5

Nec

Nec solum licitum est Regularibus, ab excessu in corrigendo, sed & in alijs gravioribus causis, ut quando de occultis gravioribus, atq; gravissimis criminibus, ad eorum infamiam, aut officiorum, sive etiam vocis activæ & passivæ privationem, aut incarcerationem, vel aliam graviolem pœnam, contra eosdem agitur, si graventur, appellare possunt ad Superiorem Prælatum.

Ita Tambur. in prax. crimin. Abbat. quest. 19. n. 8. ubi signanter notanda verba si graventur. Si enim crimina commiserunt, per quæ juxta Regulam & ordinis constitutiones, merentur, officiorum, vocis activæ & passivæ privationem, incarcerationem, aut aliam gravem pœnam: appellare non poterunt, nec appellationi Superior deferre tenebitur, cum tantum habeat locum appellatio, quando gravamen illatum

latum est. Ratio asserti est, quod in tali casu defensio est necessaria, ad suspendendum effectum sententiæ, irreparabile alias damnum post se trahentis, & injustæ. *Tamb. loc. ante cit. n. 9.* Accedit, quod supponatur, Superior in inflictione dictarum pœnarum non excedere formam & modum, sicq; ratio hujus, in rationem prioris asserti resolvitur.

Quam prudenter proinde agerent Superiores & Prælati, si in suis correctionibus discrete agerent, nec modum excederent, & appellationibus viam sternerent, per quas cum summa illorum & Ordinis confusione, talia aliquando patefiunt, per quæ sæculares scandalisantur, & quæ illos ignorare expediret. Recordarentur istius primi principij naturalis: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Hos similesq; bene monet & increpat S. Leo *Epist. 82. ad*
M 6 *Anasta-*

Anastasium Episcopū Thesalonicensem; licet, ait nonnunquam accidant, quæ in Sacerdotalibus sunt reprehendenda personis, plus tamen erga corrigendos agat benevolentia, quam severitas, plus cohortatio, quam comminatio, plus charitas quam potestas. Sed hi qui quæ sua sunt querunt, non quæ Iesu Christi, facile ab hac lege discernuntur: & dum dominari magis, quam consulere subditis querunt, placet honor, inflat superbia, & quod provisum est ad concordiam, tendit ad noxam. Et S. Isidorus lib. 3. sentent. de summo bono cap. 54. Omnis ait qui juste judicat, stateram in manu gestat, & in utroq; perso justitiam & misericordiam portat; sed per justitiam reddit peccanti sententiam, per misericordiam, peccati temperat pœnam, ut justo libramine quedam per æquitatem corrigat, quedam vero per miserationem indulgeat. Qui Dei judicia suis oculis proponit, semper timens & tremens, in omni

negotio

negotio formidat, ne de justitie tramite devians cadat, & unde non justificatur, inde potius condemnatur. Quibus conformiter S. Augustinus *hom. 34. in Ioan.* Vera, inquit, iustitia compassionem habet, falsa dedignationem. Qui de falsa iustitia superbire solent, cæteros quosq; despiciunt, nulla infirmantibus misericordia condescendunt, & quo se peccatores esse non credunt, eo deterius peccatores fiunt. Et deniq; S. Hieron. *ad cap. 4. Threnor.* Boni etenim Rectores ex sua infirmitate aliorum infirmitates pensantes, magis per humilitatis & mansuetudinis levamen student peccantes, ab erroris laqueo eruere, quam per austeritatem, in foveam perditionis nutantes propellere. Vnde Doctor gentium factus sum inquit infirmis infirmus.

Quod si hæc similiave SS. P. D. dicta eos non moveant; terreant saltem gravissimæ, quos talibus à SS. Canoni-

bus sunt præscriptæ & comminatae
pœnæ.

Primo, enim si modum in corrigendo exceſſerunt, patet ex ſupradictis, quod injuriam quam intulerunt reparare, & læſo juxta gravitatem vel levitatem læſionis, plenè ſatisfacere obligentur. Patet *x. tit. de injurijs & damno dato cap. 9.* ubi Pontifex: *ſi tua inquit, culpa datum eſt damnum, vel injuria irrogata, ſeu alijs irrogantibus, opem fortatte tulifti, aut hæc imperitia tua, ſi vè negligentia e venerunt, jure te ſuper his ſatisfacere oportet; nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuifti ex factò tuo, injuriam verosi- militer poſſe contingere ad jacturam.* Ex quo patet neminem propter ſacrorum Canonum ignorantiam excuſari, quominus incurrat pœnas ab ijsdè decretas: cum certum ſit talem ignorantiam, non eſſe facti, ſed juris, quæ neminem à peccato excuſat.

Secun-

Secundo. Si excessus incorrigendo fiat per verberationem, inclusionem, incarcerationem, suspensionem, alijsq; modis, incurritur ipso facto ex cap. *Si quis suadente*, excommunicatio major, quam si excommunicatus vilipendat, & divinis se immisceat, insuper incurrit irregularitatem, à solo summo Pontifice tollendam. Nec solum sed:

Tertio. Si in modo verberandi excesserit, præter excommunicationem meretur in exilium ejici: ita cit. cap. *Cum beatus: si quis ait, aliter quam dictum est, prædictos honorabiles subditos, licentia percepta potestatis elatus, malitia animi tantum, crediderit verberandos, juxta modum verberum, quos intulerit, excommunicationis pariter & exilij sententiam sustinebit,*

Quarto. Si juste interpositam appellationem impedire ausus fuerit, graviori pœna mulctandus venit, ex cap.

Decre-

Decreto c. 2. q. 6. c. 11. ubi Pontifex: *Si autē (quod non arbitramur) à quoquam secus præsumptum fuerit (hoc est iuste interpositam appellationem impediverit) ab officio cleri submotus, authoritatis Apostolicae reus ab omnibus judicetur: ne lupi, qui sub specie ovium intraverunt, bestiali saevitia quosq; audeant lacerare; & quod sibi fieri nolunt, alijs inferre præsument.* Ex quibus patet, omnes similes violentos, iustarum appellationum impeditores, omni dignitate qua fulgent, & statu clericali privandos, eo quod bestiali saevitia processerint. *Licitum enim est, ut ait Fabianus Papa c. sup. cit. c. 1. Appellatori vitiatam causam remedio appellationis sublevare.* Et idem paulo ante: *Appellantem, inquit, non debet afflictio ulla, vel detentionis iniuriare custodia.* Quibus conformiter Anacletus Papa loc. sup. cit. cap. 3. *omnis oppressus ait, liberè Sacerdotum Episcoporum interpretatur Glossa (si*

voluerit) appellet iudicium, & à nullo prohibeatur, sed ab his, fulciatur & liberetur. Et tandem Sixtus Papa Epist. 2. Si quis vestrum, inquit, pulsatus fuerit in aliqua adversitate, libenter hanc sanctam & Apostolicam Sedem appellet, & ad eam quasi ad caput suffugium habeat, ne ipse innocens, damnetur, aut Ecclesia sua detrimentum patiatur.

Quinto. Et ultimo tales Prælati & Superiores, si quem de crimine non convictum, nullo existente accusatore, vel actore condemnant, verberant, custodiæ includunt aut incarcerant, tales non solum infamiae jacturam sustinere, sed & ad poenam talionis condemnari debent. c. 2. q. 3. c. 1. 2. 3. & 4. ubi Pontifex Si quis ait, circa hujusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate hujus sanctionis intelligat se jacturam infamiae sustinere, ut damno pudoris & existimationis dispendio discat sibi aliena verrecundie,

die,

die, impune insidiari, saltem de cetero non licere. S. Damasus Papa: Calumniator si in accusatione defecerit, talionem recipiet. Hadrianus Papa. Qui non probaverit, quod objecit, pœnam quam intulerit ipse patiatur. Idem ibid. Si quis Episcopum, aut Præbyterum, aut Diaconum, falsis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei communionem censemus.

Quibus non obstantibus, mirum est, quæ non quærant aliqui Superiores argumenta, ut suis, vel aliorum Prælatorum gravatis subditis, subsidium & remedium appellationis, sub aliquo prætextu justitiæ subtrahant, ut libere pro suo placito gravare, & in puniendo & corrigendo modum excedere, nec tamen gravati per remedium appellationis, talia gravamina declinare possint. Et primus quidem prætextus est, quod Religiosi in sua professione

professione tali remedio & juri appellandi renuntiaverint. Argumentum contra SS. Canones militans, nec refutatione dignū, cum ex supra dictis appareat, quibus appellationibus Religiosus in professione renuntiaverit. Antonius à Spiritu sancto tract. 3. disp. 6. sect. 5. num. 785. *Si Prælati, inquit, in gravibus pœnis imponendis terminos justitiæ excedat, licitum est Religiosis appellare.* Et post plurimas Sacrorum Canonum & Doctorum allegationes rationem subjungit, *quia in hoc casu appellatio est remedium necessarium ad propulsandam Superioris injuriam, nec credendum Religiosos velle in professione huic remedio renuntiare.* Secundus & risu dignus prætextus est, quod Abbates aliq̄; Superiores in Generali vel Trienniali Capitulo Congregati, & totum Ordinem vel Congregationem repræsentantes, tali appellationis privilegio, concorditer

ter pro se & suis Subditis renuntiaverint, quis quæso audivit unquam talia? Nimirum illi contra quos remedium appellationis, subditis concessum est, tali juri appellationis renuntiant. Certe eodem modo toti juri Canonico legi divinæ & naturali renuntiare possent, ut nec Deo, nec Pontifici, nec ulli hominum essent subjecti, sed deinceps non lex divina & naturalis non jus Pontificium aut Imperiale, sed staret pro ratione voluntas.

Hæc quidem contra appellationem remedium unicum gravatorum, argumēta aliquando mihi à Prelatis aliquibus relata sunt: sed nullatenus mihi persuadere possum, tale quid in Generali, Triennali, Capitulo practicatū vel ordinatum esse: cum sciam inter illos plures esse, quorum summa in rebus agendi dexteritas & naturale iudicium id nunquam ordinari permisisset.

set. Et licet in diversis statutis Capitulum Annalium Unionis Bursfeldensis, aliquoties ordinatum sit, ne Monachi extra Ordinem, & frivole sine justo gravamine appellarent, nequaquam tamen appellatio justa & sacris Canonibus conformis vetita reperitur. Dignum enim est quod Prælati qui antequam Prælati fierent appellationem sibi si quando contra Regulam statuta & SS. Canones gravarentur, justam & salutarem judicabant, etiam suis subditis non subtrahant, optima enim regiminis maxima est, si Superiores & Regentes sic agant cum subditis, sicut optarent eosdem, secum agere, si subditi essent.

Super est jam, ut ultimam quæstionis partem discutiamus ad quos nimirum Religiosus à suis Superioribus gravatus appellare possit. Sacra Congregatio Episcoporum & Regularium,

ad

ad reprimendam Religiosorum sub
prætextu appellationum extra Mona-
steria nimiam evagandi licentiam An-
no 1587, statuit ut sequitur.

Quoniam nonnulli Regulares, vagan-
di studio secundum imminentem admissio-
rum criminum pœnam, ex suis constitutio-
nibus, aut alias debitam, sibi metuentes,
falsa & commentitia gravamina causari,
non ad immediatos sui Ordinis Superiores,
scil. à gravamine Prioris ad Provincia-
lem, à Provinciali ad Generalem, à Gene-
rali ad Protectorem, prout per cujuscunq;
Religionis constitutiones disponitur, sed ad
Romanam curiam sepius fugiunt potius,
quam recurrunt: ex quo Ordinum disci-
plina relaxatur, Prælati contemnuntur, &
ipsi audaciores evadunt, placuit S. Con-
gregationi Regularium ex Ordine sanctis-
simo statuere, ut si quis Regularium impo-
sterū temere, leviq; ex causa, hanc Almam
Urbem Romanam seu curiam, absq; sui Su-
perio-

perioris licentia, & supradicta forma præmissa adire præsumpserit, ad suos eosdemque Superiores, se veriori pœna plectendus remittatur.

Quam constitutionem, ut summe salutarem, allegatus Fagnanus probat quatuor rationibus, quarum:

Prima est. Quod non expediat Religiosos litigare extra Ordinem, ne per hoc illis non detur Occasio vagandi extra claustra, & discurrendi per Curias, contra sacros Canones, c. si cupis & cap. placuit communi 16. q. 1. c. quanto de officio Ordinarij, cap. Monachi de stat. Monach.

Secunda. Ut evitentur ingentes sumptus, qui in litibus prosequendis fiunt, ob quos comparandos, Religiosi aliquando illicitis medijs, coguntur pecunias quærere, & se proprietatis vitio implicare, contra cap. cum ad Monasterium de stat. Monach.

Tertia;

Tertia. Quod per talem viam delicta Religiosorum, cum confusione & ignominia Religionum & scandalo sæcularium publicentur: *contra cap. in scripturis 96. distinct.*

Quarta. Quod disciplina Regularis, hoc procedendi modo enervetur, & Superioribus obedientia subtrahatur; *contra, cap. reprehensibilis.*

Convenit ergo Regulares gravatos, appellationem ad Ordinis Superiores interponere, & non nisi in casu denegatæ justitiæ, extra Ordinem ad summum Pontificem recurrere. Et hanc ob causam Urbanus VIII. Anno 1624. teste Eman. à monte Oliveti p. 2. art. 7. in *practica Regularium*. 391. Benedictinis Hispaniarum præcipit, ut appellatio non fiat à Superiorib⁹ Ordinis, nisi ad Generalem, & ab hoc nisi ad Capitulum Generale, & ab illo pro notoria & manifesta injuria, in e-

ventu

ventu denegatæ Justitiæ, ad summum Pontificem immediatè, tantum, non vero ad Nuntios, Legatos, vel alias personas Ecclesiasticas. In casibus autem in quibus licitum est, appellare, si occasio non suppetat appellandi, licitum est Religiosis, si præsumant sibi licentiam à Superiore inferiori denegandam, nulla petita licentia ad immediati sui Superioris, Superiorem recurrere. Ita cum Antonio à Spiritu sancto Navar. Azor. Sa. Rodriq. Saji- rus. Barbos. Sanchez, quos refert & sequitur Palaus. Imo si timet sibi impediendum iter, potest absq; ullo scrupulo habitum dimittere, & incognitus iter suum prosequi, nam portare habitum est præceptum humanum, quod non obligat cum tanto periculo, carceris, infamiæ, gravaminis injusti &c. Anton. à Spiritu sancto loc. cit. num. 792. & 793. potestq; appellatio à

N

Regu-

Regularibus qualibet die etiam feriata interponi. Marant. *de Ord. Iudic. p. 6. de appellatione num. 217.* & conceditur unus annus, ad introducendam & proseguendam appellationem, maxime si ad Sedem Apostolicam appellatum sit, *cap. cum sit Romana x. 5. de appell. imo ex necessaria & evidenti causa, biennium: ibid. Sanchez lib. 3. consiliorum cap. unico. dub. 32. num. 97.* citans Glosam ad *cap. cum sit Romana Panorm. Decium Marantam & alios.* Quod si appellans ob intervenientem impotentiam, vel legitimum impedimentum, spatio anni & biennij, non est prosecutus appellationem, vel quia fuit custodia, aut carceri inclusus, graviter decubuit, Apostolos habere non potuit, vel tumultus bellicus aut grassans morbus contagiosus & pestilentialis, vel similes causæ obstiterunt; appellatio ea de causa non erit deserta, cum
ad

ad impossibile nemo obligari possit, & impedito tempus non currat. Quare cessantibus similibus impedimentis, & appellante suæ perfectæ libertati restituto, iterum incipit tempus currere, & priori, quod ante impedimenta erat, continuari. Unde Glossa ad *cap. si justus metus 73. de appell.* Si inquit, *per me non constat, quo minus faciam quod debeo, mihi non imputatur premissa protestatione.* Igitur per inclusionem, incarcerationem, aliasque similes graves pœnas, extorta renuntiatio appellationis, vel criminis nec ante in libertate confessati, nec debite & secundum Ordinem juris saltem summarij probati confessio, tantum abest, ut quidquam operetur, quin potius Superiorem per tales vias & pœnas cogentem, exilij, excommunicationis, ab Ordine Clericali, omnisque dignitatis dejectionis, aliarum-

quæ pœnarū reum faciat, ut supra jam remonstratum est, & articulo sequenti pluribus remonstrabitur.

Quibus ex Fagnano & ab alijs allegatis, constat quidem, quomodo, quo Ordine, & ad quem, Regulares exempti, in causis injustorum gravaminum appellare possint; qualiter autem, & ad quem non exempti, nec Provinciale, nec Generalem, nec Protectorem habentes appellare possint, vel debeant, nondum satis constat: præfertim cum præ allegata Benedictinorum Hispanorum Urbani VIII. Bulla, etiam exemptos concernat.

Respondetur ergo, Regulares Ordinario subjectos, qui nec Provinciale, nec Generalem, nec aliquem Protectorem habent; si à suis Superioribus gravantur, & justam appellandi causam habent ad Ordinis in Capitulo generali, vel triennali constitutos visitatores,

tores, appellare possunt. Colligitur
ex cap. in singulis & ea qua de stat. Mon.
cum enim ibidem fiat potestas visitati-
torib⁹, Monachos corrigendi, & puniē-
di in eventum quod Abbas (cui id alias
tanquā ordinario competit) negligens
& remissus inveniatur, à pari liberum
illis erit, per interpositam ad se appel-
lationem, injustè gravatos relevare.
Cum enim hucusquè nullum produ-
ctum sit Indultum Apostolicum, quo
aliter ordinatur, utiq; standum est de-
ciso & ordinationibus juris commu-
nis. Et hoc responsū & decisum confir-
mat celeberrima Universitas Archie-
pisc. Salisburg. in simili casu consulta,
hisce formalibus: *tum quia in nostris par-*
tibus potest à proprio Abbate, ad Congre-
gationis Visitatorem appellari, & ab eo ju-
risdictio contentiosa exerceri. Quod si il-
li juvare intermittant, integrum erit
ijsdem, ad Præsidem, compræsides,

N 3

& De-

& Definitores, in ultimo Capitulo constitutos appellationem interponere, & ab illis in eventum denegatae justitiae, si periculum in mora sit, & dilationem ad Capitulum Triennale, vel Generale, causa non patiat, ad Ordinarium pergere. Fundanturq; haec in statutis Unionis Bursfeldensis cap. & textu supra allegato. Et hoc modo gravamina injustè causata, per Ordinis Superiores examinari, & tolli poterunt, nec necessarium erit secreta Ordinis, cum scandalo saecularibus palam facere. Quod si Superiores Ordinum oppressis & gravatis succurrere negligant, vel propter ignorantiam Sacrorum Canonum injuste judicant, & hoc modo appellationibus extra Ordinem, occasionem praebent, sibi non appellantis imputare habent, quod per revelationem defectuum & intercurrentium, ex humana fragilitate

tate miseriarum, quæ secretari expediebat, cum plurimorum scandalo, ad lucem veniant & publicentur. Quæ miserix licet stante naturæ humanæ fragilitate, & ad malum proclivitate vix evitari possint, cum constet in exiguo & sanctissimo duodecim Apostolorum cœtu, unum Judam fuisse, adeoque nil mirum sit in toto Ordine, tantisque Congregationibus aliquos discipulos & miseris subjectos; imo magis mirum, non plures reperiri. Quia tamen Seculares ex defectibus Regularium, plusquam ex delictis & defectibus Ecclesiasticorum, etiam Sacerdotum, licet aliquando æquales imo majores sint, scandalisari solent; eapropter expediret Superiores Ordinum, omni modo allaborare, ut suorum defectus, excessus, vel crimina, occulte emendarēt, ne gravaminibus ad ordinarios recurrendi, & occulta pate-

N 4 facien-

faciendi, ansam præberent. Pessime proinde fecit, gravissimisq; injustitiarum, difficulter reparandis criminibus, se implicuit Regularis, qui assumpto Notario, nulla habita jurisdictione, nullo existente actore, vel accusatore, nulla per juratos conscientiosos, & honestos testes probata fama, non erubuit per domos Sæcularium circumcurritare, contra suum Confratrem, super crimine inquirere, & inquisita nunquam probata, Ordinario alijsq; Sæcularibus palam facere. Quid dicam de alio qui ut benedictionem (cujus de jure incapax erat) impetraret, ausus est è duobus Confratribus suis, unum gravissimi criminis, ante plurimos annos, ut ipse dicebat (veritas stet penes Authorem) commissi, emendati, & quo ad memoriam totaliter sopiti & extincti, de novo per libellum supplicem & famosum, coram Superiore Eccle-

Ecclesiastico, & Sæcularibus, cum summo scandalo accusare, & alium in Dignitate constitutum, de nulla hucusq; infidelitate suspectum, *perjurij, falsorum narratorum, turbulentarum & iniquarum machinationum, malevolarum suggestionum, aliorumq; criminum, agere reum.* Nunquid hæc & similia sanguineis penè lachrimis non sunt deploranda, tenduntq; ad certiores utriusq; misera anima damnationem? Hi & similes, si vel scintillam honoris, vel conscientiaë haberent, utiq; cogitarent, per tales procedendi modos, Ordinem, Monasteria, & se ipsos confusioni exponi; qui enim abscindit sibi nasum, defœdat faciem suam. Errat qui de ruderibus alienæ, & sui confratris famaë, fastigia propriaë laudis, educere putat, *usitato quidem ut, inquit, Pater Romanus Haij Astri in exst. q. 2. resp. ad 10. num. 39. grandi tamen errore, ne-*

*mo enim de alienis sordibus fulget, nemo
 de alterius deformiditate pulchrior eva-
 dit, nemo albus est, quia alter niger est.
 Quanto melius magisq; ædificatori-
 um animabusq; & conscientijs securi-
 us, his similibusq; esset, si exemplum
 Constantini quod cap. in scripturis dist.
 96. refertur, imitarentur. Is enim dix-
 isse fertur, verè si proprijs oculis vidissem
 Sacerdotem Dei, aut aliquem eorum, qui
 Monastico habitu circum amicti sunt, pec-
 cantem, chlamydem meam exspoliarem,
 & cooperirem eum, ne ab aliquo videre-
 tur.*

ARTI

ARTICVLVS XIV.

An et quas pœnas incurrant Superiores injustè, siue cum excessu ex cap. Siquis suadente diabolo, suos Subditos verberantes, vel alio modo violenter invadentes?

Articulo immediate præcedenti, moniti sunt Prælati tam Ecclesiastici quam Regulares, in suis contra subditos judicijs, caute procedere, ne per excessum in iudicando gravia sibi pericula & pœnas fabricent, ostensumquè est:

Primo. Quod Prælati si modum puniendi excedant, ac per hoc subditis injuriam faciant, eandem adæquatè reparare teneantur, juxta *cap. si tua culpa 2. x. de injurijs & damno dato.*

N 6

Secun-

Secundo. Excommunicationem, si in modo verberandi vel incarcerandi &c. excefferint, idq; ex *cap. si quis svadente*. Insuper irregularitatem, si in illa persistant, & absolutionem vilipendant, & pœnam exilij ex *cap. cum beatus, dist. 45. cap. 8.*

Tertio. Si appellationem justè interpositam impediunt, ab officio Cleri submōti, uti authoritatis Apostolicæ rei ab omnibus judicentur. *cap. Ex Decreto c. 2. quest. 6. cap. 11.*

Quarto. Si crimen falsum imponant, vel de crimine nec convictum nec confessatum condemnant, infamix jacturæ, & pœnæ talionis rei fiant *c. 2. q. 3. cap. 1. 2. 3. & 4.*

Hæc inquam art. præcedenti satis clare & fuse remonstrata sunt, quare illa hoc loco repetere non est necesse. In præsentem autem specialiter agetur de Excommunicatione, quæ incurritur

em, ran- quis n, si vili- cum è in- Cle- coli- cap. po- cum nfa- iant fat are esse. tur rri- eur

tur ex cap. *Si quis suadente*, quomodo, & ob quas causas illa incurratur, quis dicatur Notorius Clerici percussor, vel violentus inuasor, ita ut ab omnibus ad quos fama pervenit vitari debeat, & an absolutio in foro conscientie tali excommunicato impensa sufficiat, nec alia pro foro externo sit necessaria.

Ea pròh dolor est aliquorum Superiorum erronea opinio, ut putent sibi sine omni scrupulo licere ex causis sibi placentibus, quasque justas apprehendunt, licet non sint suos, subditos, custodiae includere, incarcerare, ad alia Monasteria, sine illorum consensu & voluntate, quasi in exilium mittere, verberare &c. Quare si Subditus maxime Regularis incidat in superiorem animosum, iræ & vindictæ cupidum, passionum suarum mancipium, ex naturali & dissimili complexione, male

M 7

sibi

sibi affectum, quid expectare habet, nisi continuas pœnitentias, persecutions & tœdia, ut potius mortem optet, quam sub tali Superiore perpetuo, sine ulla spe liberationis vivere.

Superiorem Regularem, qualis est Abbas & alij Ordinariam potestatem, & jurisdictionem habentes, posse ob causas justas suos Regulares Subditos excommunicare, suspendere, incarcerare &c. Jam sæpius in anterioribus dictum, & probatum est, quia vero sæpe contingit, quod tales Superiores, vel in corrigendo modum excedant, vel non servato Ordine Juris non confessatum, vel per testes (uti in judicialibus & causis gravioribus ac criminalibus fieri oportet) convictum, condemnent, hinc pro ultimo & supplemento hujus tractatuli, necessario quærendum & determinandum fuit, an & quas præter alias articulo præcedenti

denti allegatas pœnas incurrant, tales
injusti & iniqui Judices.

Pontifex ad arcendas omnes vio-
lentas, injustas Clericorum vel Mo-
nachorum invasions, in cap. *Si quis*
suadente diabolo 17. quest. 4. statuit ut se-
quitur: *Si quis suadente diabolo, manus*
violentas, in Clericum vel Monachum in-
jecerit, anathematis vinculo subjaceat, &
nullus Episcoporum illum præsumat absol-
vere, nisi mortis urgente periculo, donec
Apostolico conspectui presentetur, & ejus
mandata recipiat.

Nomine autem violentæ, injectio-
nis manuum, intelligitur actio exter-
na, injuriosa, violenta, consistens in
facto seu opere, & contingens perso-
nam Ecclesiasticam. Bonacina de cen-
sur. disp. 2. quest. 3. punct. 6. sectione 1.
§. 1. & Fagn. cap. *Nuper de sent. Excom.*
num. 8. Quarto, inquit, nota ibi (citra
quam violentia in Clericos nequiter per-
petra-

petratur) violentiam Clerico inferri posse etiam sine manus injectione. Ratio est quia debemus, in his magis attendere injuriam, & violentiam, quam manus, quæ sapiunt demonstrationem.

Debet autem actio taliter esse violenta & injuriola, ut sit moraliter peccaminosa, sive ut fiat *suadente diabolo*. Quare Clericum etiam leviter percutiens, si percussio censeatur valde injuriola, uti contingit, si quis conspuat in Clericum, illum virga percutit, aut in carcere, vel alio loco includit, à quo sine dedecore exire non possit, incurrit excommunicationem, eo quod tales actiones sint graviter violentæ & mortaliter peccaminosæ. Bonac. loc. cit. num. 4. citans, Suarez, Filiucium, Cöningh, & Reginaldum.

Fagn. loc. cit. num. 4. *Ad incurrendam excommunicationem cap. Si quis suadente*

dente paria, inquit, sunt, Clericum percutere, aut eum in custodia publica vel privata detinere, etiam sine lesione corporali. Sic quoq; incurrit excommunicationem.

Primo. Qui violenter rem aliquam Clerico eripit ex manibus.

Secundo. Qui violentiam facit rebus adhaerentibus Clerico, violenter tenendo frænum equi, cui Clericus infidet.

Tertio Lacerando vestem Clerici.

Quarto. Feriendo equum, aut frangendo frænum equi, dum Clericus eo utitur.

Quinto. Ita insequendo Clericum, ut cogatur se præcipitem dare in fluvium, ad eripiendum se de manibus insequentis.

Sexto. Qui occidit Clericum per cibum & potum veneno infectum, dummodo venenum operari incipiat.

Bona-

Bonacin: *loc. cit. num. 4. 5. & 6.* Ludovicus Boja, Molina, Suarez & alij à Bonacina citati Fagn. *da cap. Nuper num. 9. 10. & 11.*

Septimo. Judex sæcularis Clericum detinens, vel per alium in custodia vel domo detineri faciens, vel etiam illius domum per custodes vallatam faciens, ne libere egredi possit.

Octavo. Ille, qui sclopum expuldit in Clericum, qui ex ejus timore moritur, licet pila ne leviter quidem tactus fuerit. Idem *ibid. num. 9. & 13.*

Nono. Consulens & mandans tacite vel expresse Clerici, vel Monachi percussionem, dummodo percussio secuta sit & vel Consiliũ vel mandatum revera influxerit in percussionem, *ex c. quante cap. mulieres de sentent. excomm.* etiam si poenitentia ductus revocaverit mandatum, & tamen percussio secuta sit, & effectum suum habuerit. Quia hoc

hoc non obstante, manet causa efficax
percussionis. Bonacina *ibid.* §. 2. num.
1. 2. 3. 4. Fagn. *loc. cit.* num. 12.

Decimo. Non impediens Clerici
percussionem, cum ex officio impedi-
re obligatur; obligantur autem illi
quibus cura demandata est, ut Superi-
ores, Judices, Patres, Tutores, Paro-
chi. *Ibid.* num. 7. 8. 9. 10.

Undecimo. Excommunicationem
quoq; incurrunt Superiores, Religio-
sos causa disciplinæ, cum excessu per-
cutientes, licet enim illis à jure, eos-
dem corrigere concessum sit, cum fun-
gantur respectu illorum, officio Pa-
trum Magistrorum, & Judicum, *cap.*
cum in Magistrum de elect. cap. Abbatem
& sequent. 18. quest. 2. cap. decerni-
mus de judic. excessus tamen absolute
illicitus & vetitus est in cap. cum Beatus
d. 45. ubi si quis ait textus aliter quam di-
ctum est, prædictos honorabiles subditos li-
centia

sentia percepta potestatis elatus, malitiam
animi tantum, crediderit esse verberandum
iuxta modum verberum quæ intulerit
excommunicationis & exilij pœnam susti-
nebit : Et clarius cap. Universitatis de
sent. Excomm. in quo postquam Pontifex
asseruisset posse Monachos ab Ab-
bate verberari, causa disciplinæ, Glo-
ssa mox addit, moderatè, ita ut non ex-
cedat debitam correctionem. Alias po-
test appellari ab ipso cap. Irrefragabili
de offic. Ordin. Et puniri debet, cap. de
Priore de appel. Et incidit in Canonem
quia levis tantum & moderata corre-
ctio permessa est. Cap. cum de voluntate
de sent. Excomm. in 6. iterum eadem
Glossa. Si quis capiens Clericum, de
mandato Prælati, modum excedat, v.
g. quia cum is non resistit, calce vel
pugno eum cædit, incurrit excommu-
nicationem. Quibus conformiter S.
Antonin. licet, ait, non sit improbandum,

ut Prælati carceri mancipent subditos, cognitis eorum excessibus; non debent tamen facile eos incarcerare, quia excommunicatus est, qui injuste detinet Clericum. Ita S. Anton. in Summ. 3. p. tit. 9. cap. 8. Angelus Aufrelius, Zerola, Gordonus & alij ab Aluifet. Sect. 4. Dub. 33. citati. Correctio ergo Superioris Ecclesiastici vel Regularis si moderata non sit, contra Sacros Canones militat, injusta injuriosa, & suadente Diabolo facta censetur, & in illa irroganda, non fungitur officio Judicis, Patris, vel Magistri, sed iniqui & injusti aggressoris omni ad hoc ipsum jure & potestate carentis. Dubium proinde nullum est, Prælatum si in infligenda pœna, vel intensionem, vel modum excedat, incurrere excommunicationem, ut v. g. si in infligenda disciplina, Religiosum usque ad sanguinem & vulnera percutiat. Si Religiosum qui non meruit, vel

de

de nullo crimine convictus, vel confessatus fuit, carceri vel custodiae includat. Si etiam meritum pugnis, vel baculo renitentem invadit. Si alapa infligat, calce percutiat, librum vel aliud quid ad caput projiciat, tales enim poenae cum non sint regulae & constitutionibus ordinum conformes, & sacris Canonibus repugnantes, censentur *suadente diabolo* factae, ac post se excommunicationem trahere.

Est autem percussio in triplici differentia. *Levis* qualis iudicio viri prudentis est, quae fit pugno, palma, manu, pede, digito, baculo, vel lapide, & nullam maculam vel sugillationem carni relinquit. Dicitur autem *levis*, non quia sit peccatum veniale, nam potest esse *levis* & tamen peccatum mortale. Navarr. cap. 27. num. 91. Bonacina Disp. 2. quest. 3. punct. 6. sect. 5. num. 8. sed comparative ad percussionem

tionem *mediocrem* vel *enormem*. Unde si percussio levis, sit mortale peccatum juxta superius dicta, trahit post se excommunicationem. Alia est *mediocris*, inter levem & gravem media, qualis est, cum sine gravi læsione, copia capillorum evellitur, aut sugillatio carnis relinquatur, vel copia sanguinis effunditur. Tandem *gravis* est illa quæ conjunctam habet gravem læsionem, vel injuriam e. g. membri mutilationem, magnam sanguinis, aliunde quam ex naribus effusionem. Si percussio fiat cum magno vulnere, vel ictu, licet parum sanguinis exeat. Talis etiam est illa, quæ fit in Superiorem, vel ejus vices tenentem. Suarez *disp. 22. num. 91.* Si proinde aliquis in absentia Abbatis, illum cui is claves conventus vel dormitorij, & curam illorum committit, invadat, alapam cum tali violentia iterata vice in faciem infligat, ut exinde copio-

copio.

copiosus sanguis circa oculum confl
 at, nec tamen erumpat, nihilominus
 fugillationem notabilem cum macula
 ad aliquot dies, si non septimanas post
 se relinquat, quis dubitare audebit
 hanc percussione[m] esse *enormem*? id est
 ex duplici cap. tam percussione[m], quam
 illius qui percussus est, & scandali ex
 praesentia eam videntium & tam diu in
 publico attendentium? unde merito
 mirandum, quod hoc in casu consulti
 supra sine nominibus citati Theologi
 seposita omni conscientia, veritate &
 iustitia in causa gravissimi momenti,
 asserere & determinare ausi sunt, ta-
 lem percussione[m] non esse enormem,
 sed levem, in confirmationem absur-
 dissimi hujus decisi, Fagnanum & Bo-
 nacinam falso citantes, cum citatus
 uterq; diametraliter contrarium tene-
 at. Bonacina enim absolute asserit.
 Primo. Illam esse leyem, quae nullam
 macu-

maculam, vel sugillationem post se relinquit; ergo à contrario secundum eum, illa gravis est, quæ ea post se relinquit. Secundo. Et illam esse gravem quæ sit Superiori, vel ejus vices tenenti. Qua fronte ergo audent allegare Bonacinam, directe sibi contrariantem? si perspicilia sua melius imposuissent & legissent. §. qui incipit *mediocris percussio*, utiq; invenissent, quod quando dubitatur, utrum percussio sit *levis, vel gravis, vel mediocris, gravis & enormis* judicari debeat; Ita is cum Navarro, Sayro, Molina, & Philiarcho. Quæ formalia si attendere voluissent, non tam partialiter, quasi unius partis advocati judicassent. Nec minori temeritate contra veritatem Fagnanus ad cap. cum illorum de sentent. Excomm. num. 16. usq; ad 20. inclusivè citatus est. Absit enim, ut ille ita à tramite veritatis & justitiæ declinet, ut

○

per-

percussionem, de qua supra *levem* dicitur
 cat, quin potius directe contrarium
 decidit. Cum enim *num. 18.* dixisset
unde non intelligitur enormis, si modica
vel levis percussio, fuerit in naso, & san-
guis exiit ab eo, maxime cui exire con-
suevit, praesertim in astate &c. num. 21.
 subjungit. Secundo principaliter excessus
 dicitur enormis respectu qualitatis per-
 nae, veluti si in Episcopum, vel Abbatem,
 sit manus violenta injecta. Talis enim ex-
 cessus semper gravis est, & enormis, ut pa-
 tet in *cap. ille procul dubio 93. dist. 8.*
 idem est secundum Hostiensem, si in Pri-
 orem suum, locum Abbatis tenentem, cap-
 tum in Ecclesijs de majorit. & obed. *Et*
num. 22. Tertio, ait, principaliter excessus
 existimatur enormis ratione scandalum
 scilicet ubicunq; scandalum imminet, ut
 patet ex textu, cum excessus tales neque-
 ant sine scandalo praeteriri. Quare op-
 time Glossa ad d. *cap. cum illorum, qua-*
 do ex

do excessus notorius est, Abbas ipsum absol-
 vere non potest, propter scandalum.
 Excessus autem & percussio, de qua
 supra quia duobus præsentibus itera-
 to, & mox in conventu, in culina mi-
 nistris sæcularibus & externis hospiti-
 bus palam facta, summe fuit scandalo-
 sa, & absq; hoc propter sugillationem
 & maculam, in facie ad multos dies
 permanentem occultari non potuit,
 quin & causa illius, palam fieret.

Longè, proinde melius, & sacris
 Canonibus, eorumque Interpretibus,
 & veritati ac justitiæ conformius, Exi-
 mij Consultissimiq; Domini Theolo-
 gi & Canonistæ Salisburgenses super
 eodem casu consulti. Resp. inquit
Titij percussione[m] censendam enormem,
tum quia in Superiorem, in quem ad tem-
pus, ab Abbate omnis cura regendi Mona-
sterium & disciplina servanda translata
fuisse dicitur, adeoq; eidem subrogatus fu-

it, locumq; ejus tenuit, atq; juxta vulga-
 tum juris brocardicon, subrogatum sapo-
 naturam ejus cui subrogatur: tum ratione
 scandali, cum & facta sit in presentia ali-
 orum, & vestigia ut praefertur, aliquot
 diebus à toto Conventu notata fuerint.
 Resp. Secundo. Supposito etiam, quod Tit-
 us, primò ritè & validè absolutus fuerit,
 quia tamen mandatum de sistendo non im-
 plevit, illum in primam excommunica-
 tionem reincidisse ipso facto, adeoq; inha-
 bilem fuisse ut eligeretur. Cap. 7. & c. fin.
 ext. de Cler. Excomm. Neq; obstant quae
 contrarium adducuntur. Nam ad pri-
 mum dicitur, siue Superior habeat Ordini-
 nariam potestatem & curam Monasterij,
 siue demandatam, tamen revera, hic &
 nunc esse proprie Superiorem, alias dare-
 tur occasio absente Abbate eneruandi dis-
 ciplinam religiosam, quod jura maxime
 abhorrent. Vnde in praedicta constitutio-
 ne c.

ne c. cum illorum, mens potius quam verba Pontificis sunt attendenda.

Unum adhuc dubium hic necessario decidendum occurrit, de vitando tali excommunicato; an scilicet ante denuntiationem vitandus sit, an illa prius expectanda. Fagn. ad cap. fin. cum voluntate de sent. Excomm. num. 24. ex constitutione, ait, edita à Martino V. in Conc. Constant. qua incipit: *Insuper ad evitanda: licitum est cuilibet communicare cum excommunicatis, non tantum in temporalibus, sed etiam in Spiritualibus, & Sacramentorum administrationibus, præterquam in duobus casibus, videlicet cum excommunicati sunt publicè denuntiati, aut notorij percussores Clericorum.* Ex quo, patet obligationem vitandi excommunicatum requiri, vel ut publicè sit denuntiatus, vel ut sit notorius percussor Clericorum, sub intellige etiam si denuntiatus non sit.

O 3

Igitur

Igitur Clerici percussorem notorium, nulla prævia denuntiatione, omnes vitare tenentur. Quando autem talis percussor dicatur notorius variant Doctores. Zerola in praxi Episcopali requiri & sufficere dicit: si sex sint quibus innotuerit, ab omnibus vitari debeat, nec necesse est, ut omnes isti sex proprijs oculis percussorem videant, sed si duo videant etiam post factam percussorem adhuc durante tumultu superveniant, & effectum qui est, vel sugillatio & macula vel sanguis effluens coram cernant. Quod si percussio sine tali effectu, & nihilominus *suadente diabolo*, cum animo laedendi facta, & à duobus omni exceptione majoribus, v. g. Sacerdotibus, vii. & quatuor vel quinque superveniens relatam fuerit, facta notoria erit, ut percussor tanquam publicus, ab omnibus vitari debeat.

Proin-

Proinde publicus, & notorius Clerici percussor ab omnibus, privatus & occultus, ab illo, vel illis tantum qui viderunt, vitandus est; ita Ludowicus Engel. *part. 3. lib. 6. Tit. 29. §. 2. num. 50.* Si Excommunicatio sit publica & notoria, Excommunicatus publicè debet evitari, privatim vero, si privatim tantum fuerit cognita. *Iuxta cap. cum non ab homine desent. Excom. ubi Pontifex. A communione ait, illius qui pro Sacrilega manuum injectione in clericum, in edictum excommunicationis incidit, licet denunciatus non sit, debes abstinere nisi fortè id tibi soli pateret, in quo casu ipsum privatim tantummodo evitabis, quamdiu ab Ecclesia toleratur, ut saltem verecundia rubore suffusus, prolatenti excessu satisfacere conetur. Et glossa verb. Denunciatus non sit & sic inquit, quam cito scio aliquem excommunicatum, statim debeo ipsum vitare, quamvis non sit denunciatus, nisi solus hoc sci-*

am, ut hic dicit, qui enim scit, certiorari, non debuit, quia excommunicatio executionem secum trahit. *de appell. cap. Pastoralis*; Deus enim ligat & non homo. Igitur si quis sciat aliquem esse publicum & notorium, & talem Clerici percussorē, ut percussio sex vel pluribus sit nota, ipse eum etiam publice evitare tenetur, etiamsi alij id quoque scientes intermittant, non enim aliorum pervicacia vel contemptus, alios in eodem reos excusat. Sit exemplum: Superior aliquem Religiosorum injuste incarcerationavit & longo tempore detinuit, non est dubium, quin omnes, qui id certo sciunt talem Superioriorem ut excommunicatum vitare teneantur. *Cap. cum consideres 15. de sent. excomm. secunda*, ait, *questio talis est. Publica fama est, aliquem esse excommunicatum, propter violentam manuum injectionem in Clericum, queritur an propter famam illam de-*
beat

beat evitari? Respondet Papa, quod nec
Episcopus, nec alij debeant ei communica-
re, nisi de hoc ad arbitrium Episcopi se pur-
gaverit, vel ad cautelam absolutus fuerit.
Magna ergo ignorantia laborant, qui
putant eum qui in secreto uno altero-
vè vidente violentas manus injecit in
Clericum, non esse excommunica-
tum, nec teneri petere absolutionem,
cum ipsum factum trahat post se ex-
communicationem, & irregularitas
incurratur, si ita excommunicatus, di-
vinis intersit, & sacris se immisceat,
nec præsentia alicujus ad hoc sit neces-
saria. Ita Piafecijs *prax. Episc. part. 2. cap. 4 art. 11. num. 23.* advertendum, in-
quit, est, præallegatam Extravag nihil
prodesse ipsi excommunicato, nam ille tene-
tur evitare omnes actus prohibitos, licet
NB. non fuerit declaratus, & in illo de-
claratio non est de substantia excommuni-
cationis, sed excommunicatio trahit secum

O 5

execu-

executionem. Felin. in cap. pastoralis. §. verum de appellat. &c. Imo si excommunicatus exercent aliquem actum Sacro alicui Ordini deputatū, contrahit irregularitatem, à qua non potest absolvi nisi per Papam. Cap. 2. de Cleric. excomm. c. is qui de sent. excomm. in 6. Abb. in C. cum pro causa. & Piafec. l. c. num. 27. Qui etiam num. 30. Absolutionem excommunicatiōnis quod attinet, hac non presumitur nisi proberur, nec creditur asserenti se fuisse absolutum nisi probet Abb. in cap. significasti num. 7. de homicid. & in cap. sicut nobis de sext. excomm. conformiter ad cap. proposuit x. 8. de Cleric. excomm. Ubi Glossa § de absolutione, & ita quicumquē absoluitur saltem ad cautelam, semper obtineat literas absolutionis. cap. Fraternitati de sent. excomm.

Supereft jam paucis disquirere, qualis absolutio Excommunicato adhiberi debeat, & an qui in foro conscientie ablo-

absolutus est, alia pro foro exteriori non egeat. Si Pontificale Romanum & Sacros Canones attendamus, nulli dubiū est, quod vel per sententiam excommunicatus, denuntiatus, vel notorius Clerici percussor, etiamsi pro foro conscientiae absolutus sit, adhuc publice vitari debeat, donec in foro fori, juxta præscriptum Pontificalis Romani & SS. Canonum absolutionē impetraverit. *Cap. cum desideres 15. de sent. Excomm. Tertio loco tua discretio requisivit. Si Clericus verberatus, Episcopo mediāte cum suo verberatore composuerit & ille reconciliatus sibi fuerit, an per hoc is debeat ad aliorum communionem admitti? super quo tibi breviter respondemus, quod licet ille, qui violentas manus iniecit ei, quem laesit satisfacisse taliter videatur: Ecclesiae tamen quam offendit ex hoc non satisfacisse dignoscitur. Et nisi forma Ecclesiae quae pro talibus introducta est obser-*

obser-

obseruetur, non est communicandum e-
dem. Et Cavarru. tom. 1. Relegit cap. Al-
ma Mater &c. in 6. part. 1. §. 11. num. 4.
Etenim, ait, postquam semel excommuni-
catio lata est, & ligat, indiget excommu-
nicatus absolutione, qua praestanda est, jux-
ta formam juris traditam in c. à nobis 2.
de sent. Excomm. Igitur absque ea solem-
ni absolutione, minimè tollitur excommu-
nicatio, text. Opt. in cap. cum desideres
tit. §. ult. quamobrem Panorm. in cap. 2.
de judic. notab. 6. existimat, excommu-
nicationem ab homine latam, sed ea
conditione, donec satisfeceris, non
tollit nec dissolvi sine absolutione, eti-
am sequuta satisfactione. Glossa ad
Clem. 1. de decimis verb. donec. ubi in ex-
communicatis vero necessaria est absolu-
tio post satisfactionem.

Ex quibus luce meridiana clarius
patet, pro absolutione ab excommu-
nicatione observandam formam ab
Eccle-

Ecclesia & sacris Canonibus præscriptam, idquè tanto magis, si forma talis in loco quo est excommunicatus, observari consuevit. Nec tollitur Excommunicatio ex hoc, quod Superior Episcopus, Abbas, vel alius absolvendi potestatem habens, cum excommunicato conversetur, comedat, bibat & communicet, quin potius talis Superior, per talem communicationem, ipso facto excommunicationem vel minorem, extra divina cum illo conversando, vel majorem si in divinis communicet, incurrit. Si enim summus Pontifex, etiam literis cum excommunicato, missa salutatione communicans, illum non censeatur absolvere, sed absquè hoc in excommunicatione permaneat *cap. si aliquando 41. de sext. excomm.* multo minus aliquis illo inferior, Episcopus, Vicarius Generalis, Abbas &c. per suam conversationem,

nem, sine formali absolutione excommunicationem tollet. Quod confirmatur ex scæpe citato textu, *c. cum desideres: nisi* inquiens *absolutionis beneficium subsequatur excommunicatus non debet aliorum communioni restitui, & cum constet eum excommunicatum fuisse & absolutum non esse: nec Episcopus, nec alij debent communicare eidem, nisi fuerit secundum formam Ecclesie absolutus: quia qui cum excommunicato scienter communicaverit, excommunicationis pœnam contrahit cum eodem.*

Quæ autem sit forma ab Ecclesia præscripta, & quæ ante illam præquirantur, videre est in Pontificali Romano & in *cap. à nobis 2. de sent. Excom.* ibi absolutionis autem forma servatur, ut fiat cum Penitentiali psalmo, & tam oratione Dominica, quam alia consueta. Abbas Panorm. ad *cap. cum desideres*, cum asseruisset non esse reddendam communionem.

murionem, de quo fert fama, quod sit percussor Clerici, nisi prius se purgaverit, & purgationem præstiterit: mox subjungit *forma absolutionis tradita est in cap. à nobis, ut scilicet præstato juramento de parendo mandatis Ecclesie, introducatur postea in Ecclesia, cum psalmo penitentiali oratione Dominica &c.* Ad formam autem quæ in absolutione excommunicati servari debet, prærequiritur.

Primo ut excommunicatus illi, quem læsit congruam satisfactionem præstet. *cap. Porro si aliqui x. 7. de sent. Excomm. cap. Parochianos vestros 9. ibid. cap. cum desideres 15. ibid.*

Secundo, Præstet Juramentum de parendo mandatis Ecclesie, nec deinceps in simili offendendi. *cap. ex tenore 10. de sent. Excomm. cap. cum desideres cap. de cetero Streinius part. 3. tit. 16. de pœnis §. 11. num. 14. Bonacin. de censuris disp. 1. 2. q. 3. punct. 6. sect. 5. num. 25. Et tandem.*

Tertio

Tertio. Secundum formam in Pontificali præscriptam absolvatur.

Magnus ergo illorum error est, qui arbitrantur illum, qui in foro conscientia absolutus est, etiam pro foro exteriori absolutum esse, vel formam absolutionis Excommunicatorum, non amplius in usu, sed contraria consuetudine abrogatam esse.

Primo enim, directe contrariatur Pontificale Romanum, totus titulus de sententia Excommunicationis, & omnes celebriores Canonistæ. Argumentum quo ad contrariam consuetudinem, supra elisum est, cum probabatur, nullâ SS. Canonibus contrariam consuetudinem valere, nisi sit cum expresso consensu, & certa scientia summi Pontificis introducta, & ad longū tempus continuata. Adfuisse autem, vel adesse, in hoc casu scientiam, vel consensum dictum probabitur ad Calendas
græ-

græcas. Saltem in tota Germania contrariam consuetudinem non esse, claret exemplis. Nam in hac Diœcesi Paderbornensi bini mei Antecessores, Vicarij Generales, duos Sacerdotum percussores, etiamsi præviè à PP. Capucinis essent in foro conscientiaë absoluti, servatâ formâ supradictâ in foro fori publicè absolverunt. Et ultimus Monasterij SS. Apostolorum Petri & Pauli in Abdinghoff Ord. S. Bened. Paderbornæ Abbas, contra suum Regularem alterius Sacerdotis percussorem, in Capitulo omnibus de convētu præsentibus, eandem formam in absolutione observavit. Fortè & in alijs Episcopatibus idem observatum est. Quomodo ergo Layman vel alius quis audet asserere, formam hanc in Germania contraria consuetudine arbrogatam esse? Igitur asserere, contrariam consuetudinem in tota Germania praxi receptam

tam

tam esse, ea propter periculosū est, e
 quod ut optime in consilio suo, in ho
 casu dato decidit Celeberrima Un
 versitas Salisburgensis, *nemo, nequidem*
summus Pontifex, presumatur habere con
suetudines, in scrinio pectoris sui cap. 1.
constit. in 6.

Formulare pro Superioribus, tam
Ecclesiasticis, quam Regularibus procedentibus
contra suos Subditos in causis diffama-
mationum.

SECTIONIS primæ articulo quarto fu
 se demonstratum est, neminem
 quantumcunq; *notorium* sine citatione
 condemnari posse, & licet judici per
 suaderi velit factum & famam esse *cer-*
tam in omni vicinia & tam certam & in-
dubitatam rei evidentiam, ut nulla tergiver-
satione celari possit; eum propter hoc
 cōtra diffamatū procedere non posse,
 nisi prius rem ita se habere, juxta juris
 divini

est, e divini & naturalis Ordinē, Sacrorumq;
in hō Canonum præscriptum, probatum fu-
Un erit. Illiusq; ratio ibidem adducta est,
quod *multa imo plurima dicantur noto-*
ria que non, sed potius falsissima sunt.
Non absimile argumentum est, dum
Judex ad condemnandum procedit,
quia sic totus mundus spargit & judi-
cat, cum quotidie coram cernamus to-
tum mundum, homines scelestissimos,
perfidos & Atheos, laudare, venerari
& extollere: simplices vero pios & so-
li Deo placere cupientes, pro fatuis &
stultis, ac nullius frugi habere: Deo &
Salvatore nostro sic Apostolis omni-
busque se quærentibus & diligentibus
prædicente. *Si de mundo fuissetis, mun-*
duis quod suum erat diligeret, quia vero de
mundo non estis, sed ego elegi vos de mun-
do, idcirco odit vos mundus. Et eam ob
causam in extremo judicij die, impij
qui (mundi nomine veniunt) dum *sta-*
ture

bunt justi in magna constantia adversus
 eos, qui se angustiaverunt, & abstulerunt
 labores eorum, Sap. 4. turbati timore
 horribili dicturi perhibentur. Hi sunt,
 quos habuimus aliquando in derisum & in
 similitudinē improperij. Nos insensati vi-
 tam illorum aestimabamus insaniam & fi-
 nem illorum sine honore. Ecce quomodo
 computati sunt inter filios Dei & inter San-
 ctos fors illorum est. Quale autē sit mun-
 di iudicium & sapientia in libro moral.
 cap. 10. in c. 12. Iob. explicat S. Grego-
 rius. Mundi inquit, hujus sapientia est, cor
 machinationibus tegere, sensum verbis
 velare, quae falsa sunt vera ostendere, quae
 vera sunt falsa demonstrare. Hec sibi obse-
 quentibus praecipit honorum culmina que-
 rere, adepta temporalis gloria vanitate
 gaudere, irrogata ab alijs mala, multiplici-
 us reddere; cum vires suppetunt, nullis re-
 stentibus, cedere: cum virtutis possibilitas
 deest quidquid explere per malitiam non
 valent,

valent, hoc in pacifica bonitate simulare.
Quare eos, qui hanc sapientiam practice imitantur, solet mundus laudare & æstimare, qui illam autem despiciunt, & veritati, sinceritati, pietati, alijsquè virtutibus student, ut fatuos & simplices deridere.

Exiguo igitur & fallaci fundamento nituntur, qui ad totius mundi (qui tantus quantus in maligno positus est) iudicium provocant. Et si ullus unquam, certe iniquissimum hoc iudicium expertus est, magnus Deus incarnat⁹, per iniquissimum & falsissimum mundi iudicium, ad mortem & crucem damnatus: *Hunc inquebant invenimus subvertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cesari.* Quod licet falsissimum esset, & asserto ipsius veritatis (volentis, *qua sunt Cesaris Cesari & Deo, qua sunt Dei reddi*) diametraliter contrarium; ita nihilominus toti mundo
tal-

tanquam verum persuasum fuit, ut propter hoc eum, tanquam *Seductorem*, crucifigi petierint & impetraverint. *Seductor* ille inquebant impij Pharifæi Pilato. *Hoc appellabatur* inquit S. Augustinus *in psalm. 63. v. 7. nomine Dominus IESVS Christus, ad solatium servorum suorum, quando dicuntur Seductores.* Et Christum Dominum esse Samaritanum & habere Dæmonium tam certum & notorium erat scribis & Pharifæis, ut id putarent, nulla tergiversatione celari posse. Nonne inquit bene dicimus nos quia Samaritanus es tu & dæmonium habes? Quasi dicerent hoc ipsum tam certum & notorium est, ut id ipsum & tu fateri debeas, nec ullus negare, vel de hoc dubitare possit.

Ex quibus manifestum evadit, æquali periculo subjacere eum, qui aliquem ob crimen, quod notorium asseritur antequam notorietas perfectè proba-

probata sit, quam qui aliquem ad tori-
us mundi iudicium rumore & famā
condemnat. Nec universaliter ve-
rum esse, quod vulgo circumfertur,
vox populi, vox Dei, cum ex præ memo-
ratis constet, sæpe & ut plurimum
mundi iudicium fallere.

Quomodo autem in causis diffama-
tionum procedendū sit, in Conc. gene.
explicat, cap. *Qualiter & Quando* x. de
accusat. 24. Legimus inquit, in Evangelio,
quod villicus ille, qui diffamatus erat apud
Dominum suum, quasi dissipasset bona ip-
sius, audivit ab illo: *Quid hoc audio de te?*
redderationem villicationis tue, jam e-
nim non poteris amplius villicare. Et in
Genes. Dominus ait: *Descendam & vide-*
bo utrum clamorem, qui venit ad me ope-
re compleverint. Ex quibus authoritati-
bus manifestè probatur, quod non solum,
cum subditus, verum etiam cum Præ latus
excedit, si per clamorem & famam ad au-
res

res

res Superioris pervenerit, non quidem à malevolis & maledicis, sed à providis & honestis, nec semel tantum, sed sæpe quod clamor innuit, & diffamatio manifestat, debet coram Ecclesie Senioribus veritatem diligentius perscrutari. Et paulo infra: Licet autem hoc sit observandum in subditis, diligentius tamen observandum in Prelatis, qui quasi signum sunt positi ad sagittam. Et quia non possunt omnibus complacere, cum ex officio suo teneantur non solum arguere, sed etiam increpare, quin etiam interdum suspendere, nonnunquam vero ligare, frequenter odium multorum incurrunt, & insidias patiuntur. Et ideo sancti Patres provide statuerunt, ut accusatio Prelatorum non facile admittatur, ne concussis columnis corruat aedificium, nisi diligens adhibeatur cautela, per quam non solum false, sed etiam maligna criminationis janua præcludatur.

Ut etiam modum procedendi Judi-
ces

ces sciant, paulo infra subjungit: Debet igitur esse presens, contra quem facienda est inquisitio, nisi se per contumaciam absentaverit: & exponenda sunt ei illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi seipsum, & non solum dicta, sed etiam nomina ipsa restituum sunt ei, ut quid, & à quo sit dictum appareat, publicanda, nec non exceptiones, & replicationes legitime admittende, ne per suppressionem nominum infamandi, per exceptionem vero exclusionem deponendi falsum, audacia prebeat. Et tandem in fine: Hunc tamen Ordinem circa Regulares personas non credimus usquequaque servandum. Ex quo valde notabili textu, & generalis Concilij decreto patet.

Primo. Quod ad hoc ut Superior ad inquisitionem specialem contra Subditum procedat, necesse sit, quod clamor & fama, quæ de Subditi crimine

P

spar-

spargitur, ad aures Superioris pervenerit, non à malevolis & maledicis, sed à providis & honestis. Quare specialis & gravis Superiorum obligatio est, ne statim fidem adhibeant, si quid contra Subditorum honorem & reputationem spargitur, sed prius de Origine & causa talis diffamationis inquireant, quam contra eosdem procedant. Et

Secundo. Attendant an fama diu perstiterit, an diu continuata, & sæpe iterata ac continuata fuerit, idquè innuunt verba; *non semel tantum sed sæpe,* de fama enim optime scripsit Poëta.

*Fama malum, quo non aliud velocius ullum,
Mobilitate viget, viresq; acquirit eundo.*

Et sicut fama si stabili fundamento nitatur eundo crescit & vires acquirit: sic vicissim si eodem destituatur, tam facile quam incepit, deficere solet.

Tertio. Quod accusatio Prælatorum, eorundemquè diffamationis in-

quisi-

quisitio, non facile admittatur, & instituat, idque ob duas causas, quarum prima est.

Quod ipsi sint positi tanquam signum ad sagittam.

2. Ne concussis columnis ædificium corruat. Quod dictum notissimum esse, quotidiana experientia comprobatur, omnium enim oculi in Prælatos & Regentes diriguntur, ut siquid reprehensione dignum reperiri valeat, hoc toti mundo palam faciant, siue ad vindictam, si quando correcti vel puniti fuerunt, siue ex procacitate & pruritu animi ad detrahendum & vitia sua defendendum. Prælati enim veluti *signum ad sagittam* in alto positi sunt, non solum ut suorum Subditorum mores & vivendi normam observent, defectus observatos corrigant, sed etiam, ut ab omnibus videantur, & exemplo suo alios ædificent, unde optime Poëta Claudianus. P 2 Com-

Componitur Orbis

*Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus,
Humanos edicta valent, ut vita Regentis.
Mobile mutatur, semper cum Principe
vulgus.*

Et idem alio loco.

*Scilicet in vulgus manant, exempla Regentū
Viq; Ducū lituos: sic mores castra sequuntur.*

PRælati ergo in alto positus, ut speculari possint, quæ infra se fiunt, & cuique illorum à Deo per Prophetam Ezech. 3. v. 17. dicitur; *speculatorem te dedi domui Israël.* Quod tamen Episcopis præ alijs proprium est, cum Episcopi nomen, latine aliud non importet, quã *Speculator, Explorator, excubitor aut observator.* Unde S. Ambros. *de dignitate Sacerdotali cap. 4. Quid, inquit, aliud interpretatur Episcopus nisi superinspector?* Et apposite S. Isidorus *lib. 7. origin. cap. 12. Episcopi græce, inquit, latine Speculatores interpretantur: nam Speculator est*
Præpo-

Prepositus in Ecclesia dictus, eo quod Speculetur atq; prospiciat populorum infra se positorum mores & vitam. Et alter Isidorus Pelus. l. 1. Epist. 194. Episcopus inquit, ex ipso nomine quid ipsius muneris atq; Officijs sit perspectum habere debet. Eum enim invisibilium & occultarum ferarum impetus, Ecclesie ignavias, Monachorum negligentias, iniquorum hominum improbitates, viduarum calamitates, pupillorum egestates, Altaris suspiciones, Diaconorum morbos, juvenum flagitia, Senum mala consilia, Speculari oportet, atq; omni ex parte oculum esse, omnia prospicientem, nec quidquam negligentem.

Quod verò officium speculatoris ex Etymologia nominis principaliter Episcopis, non tamen iisdem solis, sed per participationem etiam alijs Prælati & superioribus competat, demonstrat. S. Augustinus serm. 51. de Sanctis Episcopus inquit, inde appellatus est, super-

P 3

inter

intendit & intendendo curat. Vnusquisque
 ergo in domo sua si caput est domui suae, de-
 bet ad eum pertinere Officium Episcopatus,
 quomodo sui credant, ne aliquis ipsorum in
 haeresim incurrat ne uxor, ne filius, ne filia,
 ne ipse seruus quia tanti est emptus. Qui-
 bus, conformiter. B. Hugo Victorinus
 explicans verba Prophete: Super muros
 tuos Hierusalem constitui custodes serm.
 40. Hierusalem ait, civitas Sancta, & ci-
 vitas Sancti, sancta Ecclesia est, cuius Rex
 per regre proficiscens, praeposuit ei custodes
 & speculatores, qui eam die ac nocte custo-
 diant & à malo defendant. Sunt ergo
 diversae speculae, ac diversi speculatores,
 imo Speculatorum Ordines, qui in diversis
 locis sanctae Civitati praesideant, hostes, ar-
 ceant, cives custodiant. In prima specula,
 residet Dominus Apostolicus, qui sicut o-
 mnibus praesidet, ita omnibus providere
 debet. In secunda Patriarcha. In tertia
 Archiepiscopi. In quarta Episcopi. In quin-
 ta

ta Archidiaconi. In sexta Archipresbyteri, sive ut in quibus locis appellantur Decani. In septima Presbyteri. Ubi notandum quatuor primos ordines Episcoporum proprie esse classes, caractere quidem pares, sed jurisdictione disparēs, sibi que subalternos. Tres vero reliquos, non nisi quadam participatione custodiæ ac superinspektionis Episcopalis, dici *speculatores*, quia nimirum Superioribus superinspektoribus & *speculatoribus*, tanquam subspeculatores deserviunt, in opitulamen sollicitudinis assumpti. Ad priores etiam reduci possunt Prælati exempti Episcopalem & immediatam jurisdictionem in suos habentes, nec non Abbates, Priores & hujusmodi immediati Superiores.

Qualiter etiam omnes supramemorati *Speculatores* munus suum obedire debeant, exemplo à custodibus Civitatum desumpto probat idem Hugo

Victorinus in consequentibus: Solent
ait, civitatum custodes & speculatores, ma-
xime tempore bellorum, in alto sedere, vi-
gilare, circumspicere, per totam civitatem,
praecipue noctibus circuire, tubis clangere,
fistulas inflare, citharizare & cantare. Sic
facere debent speculatores, civitatis nostrae,
debent quippe in alto sedere, per spirituale
conversacione, ut eorum conversatio non
sit in terra, sed in caelo: non in carne, sed in
spiritu: quatenus eorum anima non humi-
lietur in pulvere, & venter eorum non
conglutinetur terra, sed super montem ex-
celsum ascendant evangelizantes Sion, &
pedes sint speciosi, super montes annuntian-
tium pacem, predicantium salutem, disen-
tium Sion, regnabit Deus tuus. Debent vi-
gilare, per circumspeditionem; ut intuitum
vertant à dexteris, ne prosperis fallantur;
à sinistris, ne ab adversis frangantur; retrò
per Præteritorum utilem memoriam; an-
te per futurorum providentiam. Debent vi-
gilando

gilando circumspicere, ne ex improvise hostis adveniat, portas frangat & murum irrumpat, domos accendat, turres evertat, cives occidat, spolia detrahat, civitatem destruat, populum abducat. Debent circuire totam civitatem, id est, gentem sibi commissam & scrutari, ne lapide cujusquam virtutis delapso murus disciplina vel ad modicum infirmetur, & si id contigerit evenire quantocius fieri potest resarcire.

Quod ille bene adimplevit, qui ait: Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum. Debent tubis clangere per terribilem prædicationem. Debent fistulas inflare, per blandam consolationem: aptum enim est, ut asperitatem & duritiam terroris sequatur blandimentum consolationis, ut per sequentem suavitatem, præcedens asperitas temperetur. Has fistulas habere jubentur prædicatores; ubi scriptum est: Dicite pusillanimis, confortamini. Debent citharizare

Ps per

per bonam operationē cithara namq; quæ digitis tangitur, ut sonum edat, bonam operationē rectē figurat. Hæc cithara sex habet chordas, sex videlicet opera misericordia, esurivi & dedisti mihi &c. Debent cantare per laudem, & gratiarum actionem: semper enim gratias agere debent Domino honorum omnium largitori. Debent ergo sancti Speculatores in alto sedere, per spiritualesm conversationem: vigilare, per circum spectationem: circuire, per sollicitudinē: tubis clangere, per predicationem: fistulas inflare, per consolationem: citharizare, per bonam operationem: cantare, per gratiarum actionem. Et hæc omnia facere debent die & nocte, id est, in prosperis & adversis. Vnde & ipse Isaias, cujus verba proposuimus, de se ipso dixit; super speculam Domini ego sum, stans jugiter per diem; & super custodiā meam ego sum, stans totis noctibus. Et quasi rogaretur, quousq;? Donec, inquit stabiliat & donec ponat Hierusalem laudem in terra. Quod

Quod autem sub se habent in quorum vitam & mores attendere & speculari debent, tot è converso noverint esse, qui suam vitam & mores accuratissimè & quasi linceis oculis observent, nec ullum esse in se tam magnum vel parvum defectum, quantumcunq; occultus videatur, qui non toti mundo palam fiat. Et sicut Episcopus, Princeps, alijq; Superiores, si exemplo & moribus suis Subditos ædificant & ad bonum extimulant, innumeros meritorum manipulos sibi acquirunt, sic è contra si malis exemplis & moribus scandalizent, & ad devia inducunt, gravissimarum pœnarum sibi pericula creant. Unde S. Petrus Damiani *lib. 1. Epist. 9. Episcopus, inquit, (idem est & de alijs Superioribus) tot est animarum reus, quod per ejus negligentiam semprava Exempla depereunt.* Et Isidorus *lib. 3. sent. c. 30. Reges inquit, vitam subdi-*
torum

torum facile exemplis suis, vel edificant
 vel subvertunt, ideoq; Principem non o-
 portet delinquere, ne formam peccandi fa-
 ciat peccati ejus impunita licentia. Nam Rex
 qui ruit in vitijs, cito viam ostendit erro-
 ris: sicut legitur de Hieroboã, qui peccavit &
 peccare fecit Israel. Illi namq; adscribitur,
 quidquid exemplo ejus à subditis perpetra-
 tur. Et deniq; Beatus Fulgentius Epist.
 6. cap. 3. Qui sunt inquit, in seculi culmine
 constituti, aut plurimos secum perdunt, aut
 secum multos in via salutis acquirunt. Ma-
 gna talis aut pœna manet, si multis præbeant
 mala imitationis laqueum, aut gloria se
 multis ostendant sancte conversationis ex-
 emplum. Nullum vero esse secretum
 defectibus & malis moribus Regum
 Principum & Regentum, indicat Ju-
 venal. Satyr. 9.

O Corydon Corydon, secretum divitis ullum,
 Esse putas? servi ut taceant jumenta loquuntur.
 Et canisq; postesq; marmora; claudes fenestras
 Vela

*Velat egant rimas, junge ostia, tollite lumen.
 E medio clament omnes, prope nemo recumbat.
 Quod tamen ad cantū, galli facit ille secundi,
 Proximus ante diem, caupo sciet.*

Et Claudianus de *consulatu 4. Honorij*, Imperatorem alloquens.

*Hoc te præterea crebro sermone manebo,
 Ut te totius, medio telluris in orbe,
 Vivere cognoscas, cunctis tua gentibus esse
 Facta palam; nec posse dari Regalibus ullum,
 Secretum vitijs, nam lux altissima faci,
 Occultum nil esse sinit, latebrasq; per omnes,
 Intrat & obstruos, implorat fama recessus.*

EX quibus clarescit, quomodo Prælati, & omnes Regentes, sint constituti in specula, & quasi signum ad sagittam & rumoribus & diffamationibus, quæ de illis sparguntur, non facile fides adhiberi debeat, eo quod tales ut plurimum ex invidia & malevolentia originem trahere præsumantur. Si vero fama eousquè ascendat, ut ampli-

us celari vel dissimulari nequeat, tunc
& non prius.

Quarto, debeat observari forma supra præscripta ibi: *Debet igitur esse presens contra quem facienda est inquisitio &c.* Eam tamen formam.

Quinto, quo ad *Regulares non usquequaq;* observari necesse esse. Quæ autem necessario observari debeant, suprafuse demonstratum est.

Forma Processus in causis diffamationum.

Fama & rumore de aliqua persona Ecclesiastica vel Regulari ascendente, & diu continuata. Superior cum hominibus conscientiosis, nec diffamare assuetis, capta occasione de super conferet, ut famæ certitudinem cum prudentia & dexteritate dignoscere possit, illâq; habitâ sub forma sequenti procedet.

Cum

Cum ad aures Reverendissimi Illustrissimi &c. NN. Episcopi vel ejus Vicarij Generalis, Decani Cathedralis, vel Collegiatæ, Abbatis, Prioris, Guardiani &c. pervenisset, suæ Diœcesis Pastorem, Canonicum, vel Regularem, gravissimas in Deum ejusq; Sanctos, coram Sæcularibus diversis evomuisse blasphemias, idquè non sine exiguo eorundem scandalo, famamquè eousquè ascendisse & divulgatam esse, ut amplius sine conscientia scrupulo dissimulare non possit. Eapropter dictus Illustrissimus & Reverendissimus &c. obligationi suæ incumbere judicavit de veritate inquirere, citatisquè ad se Titio & Sempronio hominibus conscientiosos, honestos, nec malevolos, vel diffamare assuetos, assumpto ad se Notario pro tribunali sedens, Titium prius deinde Sempronium, separatim, nullo nisi se & Notario præsentem, delato eis

to eis

to eis & præstito de dicenda veritate juramento, super fama quæ de N. & N. spargitur interrogavit.

I. An sciat causam suæ vocationis?

R. Non aliam scio, quam quæ mihi proposita est.

I. An cognoscat Cajum Canonicum Collegiatæ Pastorem?

R. Cognosco.

I. Quomodo illū cognoscat & à quanto tempore?

R. Quia cum ipso in tali loco natus & educatus sum, illi quæ; cohabitavi & familiaris fui.

I. Cujus famæ sit apud alios & se?

R. Bonæ, quantum scio.

I. An non sit fama de illo, quod blasphemias proferat?

R. Fateor, fama sic habet.

I. Quid est fama?

R. Quod communiter ab hominibus spargitur & dicitur.

I. Quo-

I. Quomodo sciat talem famam esse de illo ?

R. Quia audivi à multis.

I. A quibus audierit ?

R. A Francisco, Paulino & Hieronymo, NNN.

I. Quomodo & qua occasione ab illis audiverit ?

R. In diversis occasionibus, cum enim præterita Dominica essem in societate & compagna, honestorum N. N. N. & ejusdem casualiter mentio fieret, omnes asseriebant communem famam esse, quod inquisitus esset magnus blasphemus.

I. A quanto tempore hæc fama volarit ?

R. A multis annis audivi à multis hæc de inquisito referri, licet distincte quot anni sint, determinare nequeam, certus tamen sum de quatuor vel quinque annis.

I. An

I. An sciat unde ista fama ortum habuerit?

R. Id ipsum certò scire nequeo: credo tamen quod ex blasphemijs continuatis & à pluribus auditis ortum habeat.

I. An ex odio vel alia passione motus, superiora deposuerit?

R. Non, nec se quidquam differentiae cum inquisito habere, sed solum tanquam vera deposuisse.

Quibus peractis, secundus testis citatur, & super iisdem interrogatorijs examinatur, cujus depositiones & responsiones, si cum prioris testis depositis conveniant, cuilibet eorum separatim à Superiore demandatur, ut protocollo responsiones cōtinente subscribat, & in virtutes S. Obedientiae, vel sub pœna excommunicationis de quibus interrogatus est & quid respondit, sub secreto teneat.

His

His præmissis citatur diffamatus, eiq; à Superiore sive Ecclesiastico sive Regulari, proponitur, quod fama publica sit in tota vicinia & communitate, illum tale vel tale crimen comississe. Quare si in illo reus sit, vel culpabilem se norit, suadetur illi, ut humiliter culpam agnoscat, & pro mitigatione pœnæ tanto crimini debitæ supplicet, & emendationem promittat. Sin minus pro certo sciat, si neget, & per testes juratos convincatur, de rigore justitiæ contra illum procedendum esse & experturum iustitiam, sine misericordia: eo quod fama jam per testes juratos honestos conscientiosos nec diffamare assuetos probata, & Superiori jus ad inquerendum dederit, & ipse ut subditus à legitimo Superiore juridice interrogatus, sub peccato mortali veritatē fateri teneatur. Quod si his propositis infamatus humiliter culpam agnoscat, emen.

emendationem promittat, & gratiam petat: Judex superexaltabit misericordiam judicio ad sententiam & condemnationem procedet, ac in ea misericordiam cum justitia temperabit.

Sententia diffinitiva.

NOs N. Dei gratia Episcopus, vel Vicarius Generalis, Decanus, Archidiaconus, Abbas &c. (mutatis mutandis) implorata ope Spiritus Sancti, solum Deum & justitiam præ oculis habentis: Ascendente fama sæpiusq; à diversis nobis intimata quasi N. indubitatus subdit⁹ noster tale N. vel tale N. crimen comisisset, auditis juratis fide dignorū honestorū conscientiosorū, nec diffamare assuetorū testimonijs diffamato, etiam coram Nobis & Notario vel testibus, crimen confitente, deprecante & gratiam petente; juxta juris dictamen decernimus eundem ad quadrangulum

drantem anni ab officio Pastoralis vel alio quod habet suspendendū illo privandum, incarcerandum &c. (prout delicti ratio exposcit) prout hisce suspendimus, privamus, incarcerari jubemus &c. iustitia mediante. In quorū fidem hasce manu propria subscripsimus & Sigillo officij nostri communiri iussimus. Anno N. Mense N. die N.

Quod si diffamatus factum, & famā per testes probos honestos conscientiosos nec diffamare assuetos, jurato probatam, constanter neget; nequaquam Superiori Ecclesiastico, vel Regulari, ad punitionem procedere licitum erit. *Si enim calumniari liceat, quis innocens erit?* citandus ergo & audiendus est, negantiq̄ue nec ullo qui accusare cupit comparente, imponenda purgatio Canonica sub forma sequenti.

Forma.

*Formula injungendi et imponendi
purgationem Canonica[m].*

NOs NN. Dei gratia Episcopus,
Vicarius Generalis &c. (ut in
formulari præcedenti.) Ascendente
fama sæpiusque à diversis Nobis re-
lata, quasi N. Clericus vel Religiosus
homicidium, furtum, vel aliud crimen
commisisset: auditis juratis fide digno-
rum, honestorum, conscientiosorum,
nec diffamare assuetorum testimonijs,
quibus talem famam veritati nite pro-
batur, quia diffamatus factum con-
stanter negavit, nullo comparente ac-
cusatore, nec per testes qualificados
convinci potuit. Eapropter secundum
præscriptum SS. Canonum, imponen-
dam ei purgationem decernimus, ju-
stitia mediante.


Præstito hoc juramento, Superior
similiter indicit compurgatoribus, ju-
ramen-

di
s,
in
te
e-
is
n
o,
y,
s,
).
-
-
s
a
-
-
r
-
:
r
mentum ad Sancta Dei Evangelia,
quo asserant se credere purgatores
principalem, verum jurasse. Eoque
præstito reus & diffamatus absolvitur.
Quodsi compurgatores jurare nolue-
rint, reus condemnatur.


Hic esto finis exiguæ hujus cautio-
nis judicialis, quæ ut cedat ad mayo-
rem Dei, magnæ matris, & omnium
Sanctorum gloriam, justitiæ promoti-
onem, iniquitatis & injustitiarum op-
pressionem, & evitacionem hoc uni-
cum meum votum est. **Judicio S. Ma-
tris Ecclesiæ submittens, nec scrip-
tum, nec dictum volens, siquid
fidei, vel bonis moribus ad
versetur.**


F I N I S .

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]









Caillie
F. J. J.
F. J. J.
F. J. J.

Th
4808

Spital und

Collegium

J. G. P. S. S.

Commissar